



JOANNIS LUDOVICI
SCHÖNLEBEN.

SS. Theol. Doctoris, Protonotarij Apostolici
Archidiaconi Carnioliae Inferioris.

ÆMONA VIN-
DICATA

SIVE

LABACO METROPOLI
CARNIOLIAE



Vetus Æmonæ nomen Jure assertum.

OPUSCULUM PRODROMUM

Ad Chronologiam & Annales Carnioliae.

Ex antiquis probatis Authoribus, contra non-nulos Recentiores Scriptores, qui Æmonam in Istriam transtulerunt, concinnatum.

Cum Licentia & Approbatione Superiorum.



SALISBURGI,

Typis MELCHIORIS HAAN Typographi.

ANNO Ærae Christianæ M. DC. LXXIV. Qui est Æmonæ conditæ MM, DCCC. XCVII.

AMERICAN LIBRARY

SCHOOL LIBRARY

20. 1890. Dogeza, B. *Botanist's Physiology*.
Aldrichian Society Library.

AMERICAN

LIBRARY

1890

LIBRARY OF THE CARNegie INSTITUTION

CARNEGIE INSTITUTE

Leeds, England [sic] [1890]

QUEEN'S UNIVERSITY PRODRUM

ANatomical & Physiological

THE ANATOMICAL TOPICS OF PHYSIOLOGY, CONSISTING

OF THE RECENT DISCUSSIONS, DISCUSSIONS, AND COMMUNI-

CATIONS OF THE ANATOMICAL, PHYSIOLOGICAL,

AND PHYSICO-MATHEMATICAL SCIENCES.

EDITION FOR THE USE OF STUDENTS AND PRACTICING PHYSICIANS.

SATURDAYS

TOPICAL CHRONICLE HANDBOOK

HANDBOOK OF CURRENT TOPICS IN THE SCIENCE OF MEDICINE.

EDITION FOR THE USE OF STUDENTS AND PRACTICING PHYSICIANS.

N 03040556



MAGNIFICIS, NOBILIBUS, STRENUIS,
AC CIRCUMSPECTIS DOMINIS,

D. JOANNI BAPTISTÆ
DOLNITSCHER CONSULI,

D. JOANNI BARTHOLOMÆO
BOSIO JUDICI,

Et Ornatissimo Duodecim-Virorum Senatui
Antiquissimæ Vrbis Æmonæ, nunc Labaci.

Felicitatem precatur

JOANNES LUDOVICUS SCHÖNLEBEN
ARCHIDIACONUS INFERIORIS CARNIOLIÆ.


Antiquissimam Urbium , quas
inter serenissimæ Domus Austria-
cæ hæreditarias haetenus depre-
hendi , *vestro* fisto nomini Magni-
fici , Nobiles , Strenui , & Circum-
specti Domini ÆMONAM , seu *Labacum* , quia
vestram , & quidem antiquo nomini restitutam .
Non est , quod amplius se fatigent ingenia in
perquirendis Æmonæ ruderibus , sive in Istria ,
sive in Carnia , sive in Norico cum quibusdam
Neotericis , & nuperis Authoribus . Confectum
est bellum . Digito ostensa est ÆMONA in

DEDICATORIA.

ipsa Labaco , ut aliter sentire non possit , qui
aliquid sentit. Pro *vobis* certavi in hoc Anna-
lium Carnioliae Prodromo , *vester* multis titulis ,
& quia indigena , & quia Patrem meum dudum
Consulem & Urbis Capitaneum *vobis* præesse
voluistis dum viveret , ac fatis eruptum velut co-
lumen Reipublicæ doluistis ; & quia me aliquan-
do Cathedralis Ecclesiæ Labacensis Decanum
magnis honorastis favoribus ; quin & Capella-
num *vestrum* ad aram D. Georgij Mart. ne qui-
dem cogitantem renuntiaſtis , prius benefici
quam rogati. Sed neque alia mihi argumenta
desunt , quibus impellar ad consecrandum *vobis*
laborem , quem pro patriæ honore suscepi. In
eam quippe curam ſedulo incumbitis , ut Ur-
bem *vestram* Ducatus Carnioliae Metropolim
non tam vindicetis ÆMONÆ splendori pri-
ſtino , quam ad antiquam Patriatitū dignita-
tem promoveatis. Vivunt adhuc , qui à seniori-
bus ſe audiviffe dignissimā teſtantur fide , cen-
tum abhinc annis Labaci viſos Senatores Inte-
rioris Consilij , cùm prodirent in publicum , æ-
mulā aliarum illuſtrium Urbium prærogativā ,
nonniſi togatos , & purpuratos , ceu Patrios
comparuiffe. Quin & ex duodenario illo Pa-
trum numero quavis trieteride unum ad tra-
ſandam

DEDICATORIA.

& andam totius Provinciæ Oeconomicam inter quadrum viros Deputatos adlectum fuisse, Annales produnt. Anno certè 1575. è vestro collegio Deputatum Provinciæ D. Leonardum Chrön Senatorem, vetus scriptum, quod apud me servo, testatur. Hæc quidem per variationem morum & temporum in desuetudinem abierunt, sed manet *vester* ardor Urbem ornandi ædificiorum nitore, consiliorum maturitate, Oeconomicæ curæ solicitudine, quæ cum illustria à Majoribus acceperitis, illustriora transmittere conamini in nepotes. Pergite viri spætissimi, & dum pro patria indefessè laboratis, Patriotam *vestrum* pariter laborantem pro Patria, quo hactenus confuevistis favore prosequimini, & bono animo suscipite Opusculum, quod operi ampliori Annalium Patriæ, totius Inlytæ Provinciæ honoribus destinato, præludit. Id dum mihi ex perspecta *vestra* humanitate securus polliceor, in Voto quo *vobis* auguror diuturni felicitatem regiminis, conquiesco. Dabam ex musæo meo Archidiaconali Reiffnitij, Idibus Julij, Anno M. DC. LXXIII.



APPROBATIO.

*Reverendissimi Consistorij Metropolitani
Salisburgensis.*

TN hoc libello : cui Titulus **ÆMONA**
VINDICATA : sive Labaco Metropoli
Carnioliae vetus **Æmonæ** nomen Jure
assertum : nihil deprehensum est contra
bonos mores aut fidem orthodoxam ,
ideo cum facultate R.^{mi} Consistorij ty-
pis vulgari permittitur.

JOANNES JULIUS DE MOLL
Provincialis Austriacus, Cel-
sif. & Reverendiss. Principis
& Archiep. Salisburg. S. Se-
dis Apost. Leg. &c. Consilia-
rius, Consistorialis, & Colleg.
B. V. ad Nives Canonicus.



DIVISIO OPUSCULI.

C A P U T I.

Status questionis proponitur.

- §. I. *Æmonæ prima origo ex antiquis Scriptoribus.* p. 1.
§. II. *De nomine Æmonæ variæ scribi solito , & ejus Etymo* p. 4.
§. III. *De vetustis Authoribus , qui Æmonæ & Nauporti meminerunt.* p. 8.
§. IV. *Limites Norici, Pannoniæ , & conterminarum Regionum.* p. 11.

C A P U T II.

Æmonam veterem esse hodiernam Labac solidis argumentis ostenditur.

- §. I. *Argumenta ex antiquis Geographis.* p. 24.
§. II. *Argumenta ex antiquis Historijs.* p. 42.
§. III. *Argumenta ex antiquis Itinerarijs.* p. 53.
§. IV. *Argumenta ex antiquis Inscriptionibus.* p. 58.
§. V. *Argumenta ex sensu recentiorum Scriptorum.* p. 63.

C A P U T . III.

Æmonam veterem non esse hodiernam Cittanoram in Istria clarè ostenditur.

- §. I. *Argumenta negativa ex Geographis & Historicis antiquis, quod Æmona nunquam fuerit in Istria.* p. 73.
§. II. *Alia argumenta ex antiquis Historicis , quod Æmona non fuerit unquam in Istria.* p. 80.
§. III. *Argumenta negativa ex Itinerarijs antiquis quod Æmona yetus nunquam fuerit in Istria,* p. 87.

C A-

C A P U T IV.

Discussio Responsonum Neoterici ad argumenta præcedentibus capitibus adducta.

- §. I. Argumenta synoptica , quod *Æmona* vetus sit hodiernum Labacum : & quod *Aitanova* non sit *Æmona*. p. 91.
§. II. Discussio Proœmij Responsonis à Neoterico scriptæ. p. 97.
§. III. Discutiuntur Responsones . num. 3. 4. 5. p. 97.
§. IV. Discutiuntur, ejusdem Responsones num. 6. usque ad 11. inclusivè. p. 110.
§. V. Discutiuntur ejusdem Resp. num. 12. & 13. p. 119.
§. VI. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 14. & 15. p. 122.
§. VII. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 16. & 17. p. 134.
§. VIII. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 18. & 19. p. 141.
§. IX. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 20. usque ad 23. inclusivè. p. 149.
§. X. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 24. usque ad 27. p. 157.
§. XI. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 28. p. 163.
§. XII. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 29. usque ad 33. p. 171.
§. XIII. Discutiuntur ejusd. Respons. num. 34. & 35. p. 180.
§. XIV. Discutiuntur ejusd. Respons. num. 36. usque ad 42. inclusivè. p. 184.
§. XV. Discutiuntur ejusd. Resp. num. 43. usque ad 46. inclusivè , & concluditur *Æmonam* p. 195. non esse alibi quærendam quam *Labaci*.

CVI

JOAN-



JOANNIS LUDOVICI SCHÖN LEBEN

Carnioli Labacensis, SS. Theol. Doctoris,
Protonotarij Apostolici , Archidiaconi Car-
nioliæ Inferioris.

ÆMONA VIN- DICATA

sive

LABACO METROPOLI CARNIOLIÆ

Vetus Æmonæ Nomen Jure assertum.

C A P U T I .

Status Questionis proponitur

§. I.

Æmonæ prima origo ex antiquis Scriptoribus.

I.

A Emona recentioribus Geogra-
phis & Historicis nonnullis lapis of-
fensionis , aut potius pomum Eri-
dis est , quod cum plures ambiant
Urbes , si dedero pulcherrimæ inter
illas , non refugiam literarium bel-
lum. Condita est juxta suppurationem Saliani ,
A quem

Salian.
Annal. To.
1.

quem in hoc sequor. Anno Mundi M. M. DCCC.
XXXI. ante Christum M. CC. XXII. ante Romanam
conditam CCCC. LXXII. Primus ejus conditor
fuit Jason cum Argonautis. Id quomodo accide-
rit, narrat Sozomenus Græcus scriptor (qui cla-
ruit circà annum Christi CCCCXL.) in hæc verba:

*Argonautæ Æten declinantes, non eundem in reditu cur-
sum tenuerunt, sed transmiso mari quod super Scythas est,
per flumina, quæ per illas partes labuntur ad Italorum per-
venerunt fines: atque ibi hyemantes Urbem condiderunt
nomine Æmonam. Sequenti verò æstate operâ incolarum
adjuti, Argo navim quadraginta circiter stadia per ter-
ram machina quadam tractam, deduxerunt in Aquilum flu-
vium, qui in Eridanum influit. Eridanus autem in mare
Italicum exit. Ejusdem ætatis author Zosimus cum*

*Zosim.lib.
s. hist.*

de Alarici Gothorum Regis transitu in Italiam agit,
hæc habet: *Ad Stiliconnem verò quidam nuntium per-
tulit, Alaricum relictis Epiris, & angustijs (quæ è Pan-
nonia transitum ad Venetos impediunt) superatis, apud
Hemonam castra locasse, quæ Urbs inter Pannionam su-
periorem & Noricum sita est. Atque hoc loco par est mi-
nimè præterire, quæ ad Urbem hanc pertinent, & quo modo
condi ab initio coepit. Ajunt Argonautas cum eos Æta-
ta persequeretur ad Istri ad pulisse ostia, quibus in Pontum
se effundit; recteque facturos se existimasse, si ad verso
flumine sub-vehementur, ac tantisper in eo remigij, & se-
cundi venti adjumento navigarent, donec ad mare pro-
pius accessissent. Quum igitur id consilium fuissent exe-
qui i; jamque ad hunc locum pervenissent, ipsa structurâ
oppidi in memoriam ad ventus sui in istas oras relata, &
Argo machinis imposita, perque stadiorum CCCC. spa-
tium usque ad mare pertratta. Thessalorum litoribus ad-
pulerunt: sicuti Pisander Poëta memoria prodidit. Hemo-*

nā

*Sozom.
hist Eccles.
lib. 1.c .6.*

nâ igitur hâc progressus Alaricus, Aquili flumine trajecto, jamque suparatis Apenninis montibus ad Noricum accessit. Hi montes extremos Pannoniæ limites finiunt, & ijs qui ad Noricorum gentem transire volunt, arduissimam viam præbent: cui custodiendæ præsidarij pauci sufficiunt, &c. Non inquirō jam in quibus accidentibus hi Authors aberraverint, secuti haud dubiè alios, quos legerant; satis ad propositum est, quod in substantia convenient, & tradant Æmonam à Jasone conditam, cum fugeret Æetam Colchorum Regem, & à Ponto Euxino ad oras Italiæ contenderet adversis fluminibus.

II. Causam verò & occasionem fugæ Jasonis, & cur eum persequeretur Æetas, petere licet ex Apollonio, Diodoro Siculo, Appiano, Apollodoro, Pausania, Higyno, Valeriano, Flacco, Justino, Eustathia, Orpheo & alijs antiquis. Fugæ ordinem verò tradunt Plinium secuti plerique, & ex Ponto Euxino in Istrum sive Danubium, è Danubio in Savum, è Savo in Nauportum adverso ubique flumine navigasse Jasonem affirmant: cumque ultrâ Nauportum ulterius navigare non posset, navem sive humeris sive machinis (intellige dissolutam, & rursum posteà compaginandam) per Alpes transtulisse narrant. De hac igitur Æmona quæstio est inter Recentiores, ubinam locorum sita & condita fuerit; quæ licet apud doctos & exactos antiquitatum Scrutatores citrâ dubium agnoscatur jam profligata, ostendatürque manifestis argumentis nuspian alibi veram Æmonam quærendam esse quam eo loci, ubi ex vetustis ejus ruinis surrexit Carnioliae Metropolis Labacum: nihilominus sunt adhuc aliqui, seducti uno vel altero Au-

Apollon.
schol. in l.

1. & 2 Argon.
Diodor. lib. 4.

Appian. in
Mithryd.

Apollod.
lib. 1.

Pausan. in
Boet. Higyn. f. 14.

Valer.
Flacc. lib.

7. Argonaut. Ju-
fslin. lib. 32.

Eustatho
ad hom. O-

dyss. lib. 12

Orph. in
hymn.

Strabo li.

1. Plut. in
Theb. Ifido.

lib. 9. O-

rig.

thore non satis diligent veritatis indagatore, eo que novitio; qui mordicus adhærent falsæ illi opinioni, quod Æmona à Jasone condita illic fuerit, ubi ad Quietum fluvium in medio Istriæ ex quibusdam non satis notis vel nominatis ruderibus civitatula quædam circa tempora Caroli Magni excitata est, ac dicta hodiéque *Civitas nova*. Quam opinionem per immanem errorem, ut loquitur Cluverius, introductam, priusquam refellam, præmissis nonnullis, quæ vel supponi vel prænotari debent, ostendam clarè, quod vera Æmona non fuerit unquam alibi, quam ubi hodie adhuc visuntur ejus ruinæ extra Urbem Labacensem ad partem occidentalem, & illæ quidem non integræ, quia partem illarum occupavit nova Civitas Labacum, uti constat omnibus Labacensibus, & monstrari potest etiam peregrinis ad oculum.

§. II.

De nomine Æmonæ.

I.

Affinitas nominum auget sæpè difficultatem quæstionum, tria verò occurunt nomina quæ in hac quæstione præsentati ab invicem secerni vel combinari debent, ut melius status quæstionis intelligatur. Nimirum *Æmona*, *Ænona*, & *Æmonia*. De *Ænona*, quæ etiam scribitur absque diptongo *Enona*, & hodie *Nona*, cuius situm in Liburnia collocat Ptolomæus, ubi ait: *Post Istriam Italæ, reliqua Liburnia, quæ in Illyride est, maritima sequitur ora. Alvona, Flavona, &c. Argyruntum, Cocinnium, Enona, Jadera Colonia.*

Colonia. De hac inquam Liburnica Enona, sive ut Plinius in editione Basileensi recentiore habet Æmona : nam in vetustiore anni 1539 Enona legitur ; nulla hic est quæstio. De sola Æmona & Æmonia superest difficultas an fuerint duæ urbes, vel una eademquè.

II. Nullus Veterum præter solum Plinium distinguit inter Æmonam & Æmoniam.. Hic ergo agens de Norico, sic inquit: *Rhaetis junguntur Norici. Oppida eorum Virunum, Celeia, Teurnia, Viana, Æmonia, Claudia, Flavium, soluense.* Divinat Cluverius supponens duas fuisse Urbes, hanc Æmoniam Norici Urbem esse hodiernum *Amone* Oppidum , quinque millibus passuum à Zuglio (quod putat esse *Julium Carnicum*) distans , in finibus proinde Carniæ & Norici. Abrahamus Ortelius vero putat Æmonam Ptolomæi eandem esse cum Æmonia Pliniij. Unde lapsum esse (uti in pluribus) Plinium, quod bis eandem Urbem nominaverit ; semel in finibus Norici , altera vice sub Norico in Pannonia fatendum est : præfertim cum nullus aliis vetustus scriptor distinguat inter Æmonam & Æmoniam. Oppidum vero illud Amone (si quod tale est , nam ex incolis illius patriæ nullum tale possum resciscere) recentius est credendum. Quamvis si admittam Æmoniam in Norico ubi forte Amone est, nihil officiat meo instituto, quia non possunt illi convenire , quæ convenienter veræ Æmonæ à Jasone ædificatæ, uti ex dicendis constabit.

III. Porro Æmona quam Plinius in Pannonia collocat , & de qua Ptolomæus ait : *Inter Italiam vero sub Norico Pannoniæ iterum civitas Emona.* Variè quo ad Orthographiam scribitur à varijs , idquè

*Plin.lib.3.
c. 24.*

*Cluver.
Ital. Ant.
lib.1.c.20*

*Ut Germ.
lib.de No-
rico c. 5.*

*Ptol.lib.2.
cap. 15.*

ferè vitio Amanuensium, & Typographorum eorumque Correctorum, qui sæpe literam literæ substituere nihil pensi habent. Hinc videre licet in eodem Plinio impresso Basileæ Anno 1539. *Emona* simplici (e) at verò in exemplari ibidem impresso Anno 1549. *Emona*, per diptongum (æ) In Herodiano quo usi sunt Lazius, Cluverius, & alij legitur *Hemona* cum aspiratione : sed in editione ejusdem Herodiani, quam Anno 1493. Angelus Politianus Florentiæ edidit, legitur simpliciter & truncatè *Emia*. In Itinerarijs antiquis quorum superiore seculo in varijs Bibliothecis exemplaria reperta sunt, ingens etiam deprehenditur in hoc nomine variatio. Cujus authoris fuerint illa Itineraria paulò post dicam, Anno 1518. Itinerarium Antonini impressum Venetijs uno in loco habet *Hennomacium*; in alio vero *Emonia*. Idem Itinerarium apud Lazio, Cluyerum, Pyrkheimerum, Peütingerum habet modo *Hemona*, modo *Emona*, imò & *Hemona*. Abrahamus Ortelius id observans, ait, *Plinius habet Emonam Pannoniae oppidum, & Emoniam quoque in Noricis, quod Julius Capitolinus Hemonam vocat. Ptolomæus Emonam Urbem statuit inter Italianam & Noricum, quam eandem esse puto cum Emonia Plinij. Sic etiam legendum erit apud Antonium (quo loco Hennoma, Hemonia, & Hennonia male habetur) hancque Moletius Clemona dicit vocari : at cum Simlero potius credam Carniolie caput esse, quod hodie Laybach dicitur &c; Sic Ortelius, qui addere potuisset *Hema*, *Hemonatum* &c : Non est proinde cur ex diversitate orthographiæ & amanuensium vitijs, arguamus diveositatem locorum, sed hæc omnia nomina convenient & referunt unam*

Ortel. in
Synon.

nam eandemque Urbem *Æmonam* in extremitate Pannoniæ sub Norico sitam, vicinam Italiæ, prout eam describit Ptolomæus, in cuius antiquissima editione, quæ apud me est, pro *Æmona* etiam invenio *Mona*. Est hæc editio Nicolai dominis Ulmæ facta. Anno 1482.

I V. Etymon hujus nominis *Æmona* derivatur ut existimo ab *Æmonia* regione, sic dicta à vicino monte *Æmo*, quem nostro Albio & Bebijs montibus continuari non dubito, ut ex tabula IX. Europæa Ptolomæi observare licet. Et quia ex *Æmonia*, quæ postmodum à Theffalo Rege dicta est Theffalia, originem traxit Jason, Urbem quam condidit in fine Pannoniæ, ex termino suæ à Ponto navigationis, & patria sua nominari voluerit *Æmonam*, vel adjectivè *Æmoniam*, quasi Coloniæ *Æmoniam*. Quod vero in antiquis lapidibus & monumentis plerunque inveniatur Emona sine diphtongo, id errore Latomorum evenisse crediderim. Hi quippe multoties errasse deprehenduntur: unde observo in antiquo lapide *Voltrecis*, quod alibi legitur *Volturegis*, & rursum. *Vive Colug.* pro *vivæ Conjugi*. quibus similia passim occurunt. De voce *Hennomacium*, sive *Hemonacium*, ita sentio eam formatam ex *Hemonâ*, quasi diminutivum: tunc scilicet, quando à pristino suo splendore dejecta in parvum oppidum decreverat post Attilæ vastationem; idque colligo ex tempore, quo conscripta sunt Itineraria, nempe declinante jam Romano Imperio, ut mox dicam: nequè enim hactenus alibi legi: *Hennomacium* vel *Hemonacium* quam apud Antonium, & solùm quidem in Veneto exemplari: cùm alia emendatiōra habeant *Hemonam* & *Emonam*.

§. III.

De vetustis Authoribus qui Aemonæ,
& Nauporti meminerunt:

I.

Ne iusmodi quæstionibus magnæ considerationis est antiquitas authoritatis & scriptorum: Unde recentioribus facilè fides habenda non est, nisi veteriorum authoritatibus fulciant sua asserta, cum de antiquis scribunt. In dogmatibus Ecclesiasticis, apud omnes major est antiquiorum Patrum authoritas, quam Doctorum recentium; & hi sua ferè vel evidenti ratione probare solent, vel testimonio veterum. Quidni hoc ipsum locum beat in Historicis, ubi de antiquissimis, & jam quasi oblivione sepultis agitur? Apud me certè in Geographia plū s fidei habet Ptolomæus quam Leander; plus Strabo quam Blondus, & similes proximæ ætatis. Quare ut veritatem, quam assumpsi probandam extrà terminos disputationis constituam; authorum, ex quibus potiora de promam argumenta, ætatem ac tempus, quo scripserunt, lectoribus ponam ob oculos. Sunt autem hi.

I I. Pompejus Trogus, qui floruit paucis ante CHRISTUM natum annis, dictus à Plinio severissimus auditor. Hujus quidem opera nondum prodierunt, sed extat eorum Epitome contracta à Justino eleganti stylo. Non meminit quidem Justinus Aemonæ, sed navigationem Jasonis per Danubium, & Savum paucis perstringit; ex qua etiam thesim asumptam

sumptam probabo. Prætero plures alios vetus-
stissimos Scriptores, qui ejusdem navigationis me-
minerunt, suis locis allegandi.

Vellejus Paterculus vixit circa annum Christi vigesi-
mum; & Nauporti Coloniæ meminit in fine Panno-
niæ, ut infra dicemus, cui magna fides habenda,
cūm fuerit Legatus Tiberij in Pannonia, ut ipse met
de se narrat, & haud dubie Nauportum transferit.

Strabo Amasenus circa Annum C H R I S T I tri-
gesimum scripsit suam Geographiam, qui de se
ipso profitetur. *Exponemus* tūm quæ ipsi obivimus
terra marique; tūm de quibus aliorum sermonibus aut scri-
ptis nobis fides est facta. *Ipsi obivimus* versus occasum
ab Armenia, usque ad Etruriæ loca, &c. Hic & navi-
gationem Jasonis, & situm Nauporti cui Æmona
proxima fuit non uno in loco descripsit. Et si ab
Armenia in Hetruriam peregrinatus est, utique &
Pannionam attigit, aut proximas saltem Regiones.

Cornelius Tacitus circa annum Christi centesimum
Annales & historias scripsit, quantus vir! meminit
& ipse Nauporti in finibus Pannoniæ.

C. Plinius Cæcilius Secundus circa idem tempus An-
no Christi centesimo decimoquinto universalem
scripsit Historiam ex vetustioribus combinatam,
quos allegat. Hic non tantum Nauporto, sed &
Æmonæ, certum locum & situm designat.

Ptolomæus Alexandrinus floruit sub Cæsare M. Aure-
lio Anno Christi centesimo octogesimo, quem Mar-
tianus Heracleota appellat *divinissimum & sapientissi-
mum*. Hic præterquam quod limites ponat No-
rico, Pannoniæ, Istriæ, alijsque vicinis Regioni-
bus, etiam Emonam, quo loco steterit, ostendit.

Herodianus Græcus scriptor circa annum Christi

Strabo lib.
2.

ducentesimum quinquagesimum, Hemonæ diser-
tis verbis meminit, nisi quod non nihil aberret,
eam in Italiæ principio sitam fuisse existimans:
nisi forte putaverit Italiæ limitibus contineri, quid
quid suo tempore Imperio Romano circa Alpes
acceſſerat.

Julius Capitolinus circa Annum Christi ducentesi-
mum nonagesimum expeditionem Maximini è
Pannonia in Italianam recensens Æmonam Urbem
nominat.

Pacatus Orator circa Annum Christi 390. floruit,
& in Panegyrico Theodosij Æmonam nostram piam
Æmonam appellavit.

Sozomenus Hermias vixit Anno Christi 440. & stylo
Græco sui temporis Historiam Ecclesiasticam scri-
psit, in qua etiam originem Æmonæ tradidit ex
vetustioribus.

Zosimus item Græcus ejusdem temporis Histori-
cus de origine Hemonæ mentionem fecit.

Æthicus Antoninus Ister Author Itinerarij, quod è
pluribus protractum Bibliothecis prodij superio-
re seculo, & creditum primò est, esse Antonini Cæ-
saris, sed Author debuit esse posterior Antonino Cæsare, cùm meminerit Constantinopolis. Gaspar
Barthius conjecturat, æqualem fuisse Symmachī
& Numatiani, qui ævo Theodosiano vixerunt circa
aūnum Christi 390. Certè antiquior fuit Isidoro,

qui floruit Anno 630, Christi, cùm Isidorus ipse
meminerit Antonini Histri, unde opinor fuisse na-
tione Histrum vel Istrium. Neque tamen existi-
mes omnia Itineraria ad hunc Antoninum specta-
re, quia non omnia sibi correspondent. Verosimi-
le est post ipsum alios descripsisse, & de suo vel ad-
didisse,

Barth. lib.
45. Ad-
vers. cap.
13.

Gerard.

Voss. lib. 3.
de Histor.

Lat. P. 2.
fol. 692.

Isid. lib.

14. orig. c.
5. Et lib.
19. c. 10.

didisse, vel nomina quædam mutasse, & mutilata edidisse, ut patet si ad invicem conferantur variæ editiones Itinerariorum. Auctiora enim sunt alijs alia. Unde illud Venetum Anno Christi 1518. impressum unum ex posterioribus arbitror, quod alias Author ab Antonino majori ex parte mutuarum aliter, quam invenerat descripsit, multis nominibus mutatis, quale est illud Hennomatum pro Æmona, quod suspicor factum circa Annum Christi 500 quando jam Æmona è suo florenti statu deciderat per Attilæ vastationem; si tamen aliquando in vetustis Itinerariorum exemplaribus lectum est Hennomacium, & non potius Hemona, de quo dubito, quia illud tribuo potius errori Amnuensis, quam nomini Urbis.

§. IV.

Limites Norici & conterminarum Regionum.

I.

Verum Æmonæ nostræ situm designemus, necessarium est præcognoscere limites Norici, sub quo sita fuisse scribitur à Ptolomæo, itemque Pannoniæ, cuius civitas fuit, aliarumque conterminarum Regionum. Et in primis illud certum est Norico fuisse conterminam ab una parte Pannionam, ab alia parte Carniam, & Japydiam, quæ à parte meridionali contingebat Istriam, an verò Noricum attingerit Istriam immediatè, sicut contingebat Pannionam & Carniam, mox constabit.

II. Norico assignat limites Ptolomæus his

verbis : *Noricum terminatur ab occasu Oeno fluvio : à Septentrione Danubij parte, quæ est ab Oeno usque ad Cetium montem.* Hic primus & secundus est limes. *Oenum flumen, qui hodiéque nomen servat novimus : Cetius mons hodie vocatur initio Calenberg proximè ad Viennam Austriae & præter labentem Danubium, cuius tractus protensus usque in Styriam inferiorem & confluentes Savi ac Saanæ (ut Cluverio placet) per partes nomina mutat, quod alijs quoquè montibus accidit, & modo vocatur, Haikhenfall, Mons Viennensis, Khaunberg, Khaunegk, Thanberg, Frankhenfels, im Geschand / im Primbsh / Hochenalben / in der Drâchsel / Schneeberg / in der Preyn / Semering, Arzberg / Hartberg / Plâtschberg / ut vult Lazius : ubi non disputo, an rectè hæc omnia juga Cetio monti conjungat. Illud certum est tractum illum à montis Cetij principio Celeiam usque Norico inclusum fuisse, cum inter Oppida Norici etiam Celeiam reponat Ptolomæus.*

III. Pergit verò idem Ptolomæus : Ab' ortu verò solis ipso monte Cetio, & talis est situs totius illius tractus à Principio Cetij ad usque Celeiam, quæ omnibus nota est in Styria inferiore. Propterea rectè ad mentem Ptolomæi designat Josephus Moletius in mappa montem Cetium in longum protensum, à Danubio amne ad Celeiam & ultrà, divisis litteris majusculis *M O N S C E T I U S.*

IV. Iterum Ptolomæus Ameridie verò parte Pannoniae superioris, quæ sub dicto est monte. Et quod inde est supra Istriam eo monte qui *Carvancas* appellatur. Hic quatuor ostendenda sunt. 1. Quæ sit illa pars Pañoniæ superioris Norico à meridie contermina. 2. Quis sit ille mons dictus *Carvancas*. 3. Qui-

*Cluver. in
Noric.*

*Laz. Mi-
grat. lib. 2.*

*Molet. in
Cosmogr.
Ptolom.*

nam fuerint inquilini Carvancæ eo tempore, quo scripsit Ptolomæus. 4. Cum scribat *monte super Istriam*, an Istria tunc immediatè fuerit contermina Norico. His benè expensis, constabit, qui fuerint veri limites Norici. Ubi notandum est inter Noricum & Istriam intercessisse Carniam, Japydiam, & partem Pannoniæ; sed pro diversitate temporum, diversos fuisse limites tam Norico, quam Pannoniæ, Japydiæ, Carniæ, & Istriæ. Nam hæc divisio pendebat, vel ab ipsorum populorum fortuna, quâ se latius modò diffundebant, modò contrahebant; vel à Romanorum arbitrio, qui fines singulis præscribebant, postquam eas Regiones occupaverant. Unde non possunt illi Regioni assignari certi & stabiles termini; sed ad intelligendos Authores, & investigandam particularem aliquam veritatem, temporis ratio habenda est, quo Author hic vel ille scripsit. Quæstio nostra procedit utrum Emona sita fuerit sub Norico in Pannonia, & inter Italiam & Noricum, & ubinam ejus situs fuerit: quare attendi debet ad reliquarum Regionum descriptionem ejusdem Ptolomæi, & ubi ipse deficit, aliorum vicinæ ætatis Authorum. Iam ad quatuor prædicta puncta.

V. Norici limitem meridionalem, quâ Pannoniæ partem & Carniam contingebat, putat Cluverius sic posse definiri: *Hinc porrò aliud montium jugum, quod à dictis confluentibus inter Savum & Sannam, ab ortu in occasum ad Sanæ fontem procurrit: inde verò inter Savum & Dravum ad Savi primum, dein jam Alpium Carnicarum, Noricarumque nominibus ad Natisonis fontes, &c.* Non male meo judicio, nisi quod monte Cetio Noricos à Carnis submoveat,

Cluver.
Noric.c.s.

& Carnis nimis latum Regionis tractum assignare videatur. Ego ex Ptolomæo Carnorum limites videor mihi elicere Tilauemptum flumen & Natisonem ; cui addere liceat etiam Sontium, atquè ut plurimum fontem Timavi, cuius situs est inter Sontij fluenta & Tergestum. Nam in descriptione Italiæ cui Carniam attribuit Ptolomæus hæc habet : *Carnorum post inflexionem Hadriatici sinus, intimus sinus in quo est Tilauempti flu-vij ostium. Natisonis fluminis ostia.* Deinde post nonnulla ; *Carnorum mediterranea Forum Julium, Concordia, Aquileja ubi adverto, quod Carniæ limes non fuerit Tilauemptum flumen, sed ultra Tilauemptum Romatinus fluvius ad Concordiam, alias non includeret Concordiam Carniæ :* consequenter etiam ab alia parte Natiso non terminaverit Carniam, sed hæc ulterius processerit ad Timavum, quod cum sileat Ptolomæus, suppetias illi ferat Plinius, qui annis circiter quinquaginta ante Ptolomæum scripsit. Hic disertè, tametsi interpunctiones turbaverint Amanuenses, ut videatur duas Regiones confudiisse :

Plin.lib.3. c. 18.

Sequitur decima Regio Italæ Hadriatico mari apposita Venetia, cuius flu-vius Silis, Oppidum Altinum, flumen liquentia: Colonia Concordia: flumina & portus, Romatum majus minusque. Hæc videtur attribuisse Venetiæ, in quo discrepat à Ptolomæo, quod Concordiam attribuat Venetiæ, quâm Ptolomæus Carnis adscripsit : nisi velis post vocem liquentia majusculum punctum locare, ut cœtera quæ sequuntur ad Carniam pertineant. Pergit Plinius. Tilauemptum quo Varanus defluit : Alfa, Natiso cum Turro, præfuentes Aquilejam Coloniam XII. millia passuum à mari sitam : Carnoram hæc Regio : juncta quæ

Japy-

Japydum, amnis Timavus, &c. Ecce à Tilauempto usque ad amnem Timavum collocat Carnos, ab amne verò Timavo ponit Japydes, quibus attribuit quæ sequuntur : *Amnis Timavus, castellum nobile vi-*
nus, Puccinum : Tergestinus Sinus, Colonia Tergeste, ultra
quam sex millia passuum Formio amnis, antiquis autæ
Italiæ terminus nunc verò Istriæ. Ex his licet non possumus inter Noricum & Carniam certum ac indubitatum limitem assignare, habemus tamen hoc, quod inter Istriam & Noricum circa Adriaticum mare Japydes intercesserint, adeoque Istri & Norici non fuerint sibi immediatè contermini. Jam verò ut Noricum à meridionali latere separemus à Pannonia, contiguorum Japydum situs est investigandus.

V.I. Ptolomæus de Japydibüs nullam facit mentionem nisi obiter in descriptione Illyridis ubi ait : *Tenent autem Provinciam qui Istriæ hærent Japydes, quam procul vero sese extenderint non expressit.* Possumus autem eorum situm colligere ex ipsomet Ptolomæo, si attendamus fines præmemoratos Carniæ & addamus limitem Pannoniæ, ac insuper alios authores in subsidium advocemus. Ergo saltem ad Timavum se extendebant Carni, ut vidimus ex Ptolomæo, post quos à Timavo colebant Japydes ad Istriam usque, quia inquit *Istriæ hærent Japydes.* Sed quis Istriæ tunc limes Septentrionalis ? Juxta Ptolomæum dicendum est Tergestum, quia in descriptione Italiæ ait : *Histriæ simili- ter post flexum intimi Adriatici Sinus Tergestum Colonia, Formionis fluminis ostia, &c.* quæ contrariantur dictis ex Plinio, cui major habenda videtur fides, eo quod scripserit in Italia habens rerum Romanarum majo-

Ptol.lib.2.
c. 17.

majorem notitiam, quam Ptolomæus, qui scripsit Alexandriæ. Cum ergo limitem Istriæ posuerit Plinius Formionem amnem, idem fuerit etiam limes Japydum meridionalis. A Septentrio-ne quod fuerint contermini Pannoniæ manifestum est, quia cum Nauportus eâ ætate fuerit in Pannonia teste Tacito & Vellejo, & Albius mons sit contiguus Nauporto, quem Japydes incoluerunt, manifestum evadit Japydes conterminos fuisse Pannoniæ. An verò contermini fuerint etiam

Tacit. lib.
1. Annal.
Vellei. lib.
2.

Plin.lib.3.
c. 24.
Cluver.
Ital. lib.1.
c. 19.

Norico, in dubium revocat Cluverius ad illa Plinij verba: *A tergo Carnorum & Japydum qua se fert magnus Ister Rhatis junguntur Norici? minimè. A tergo quidem Japydiæ erant, sed longius diffiti trans Savum am-nem.* Verum advertere debuisset Cluverius ad tempus, quo scribebat Plinius; Et ad ejus men-tem juxta ac coævi Ptolomæi metiri limites Carniæ. Licet enim initio Romani Imperij Carniæ Tilauempto fluvio ad Formionem usque habitaverint, & eam ob rem Strabo Tergestum appellaverit vicum Carnicum, Plinij tamen & Ptolomæi æ-tate mutati fuerunt limites, & Carni intra Tilauemptum ac Sontium restricti erant, ut patet si con-ferantur ea, quæ de ipsis habet tam Plinius, quam Ptolomæus. Cætera à parte Sontij Orientali o-ccupabant circa Timavum usque Tergestum Japy-des & deinceps per Oram ac Carvancam & Al-bium diffundebantur: supra Timavum verò ad Septentrionem Norici magnam Prioris Carniæ par-tem occupabant; atquè adeò Norici proximè con-termini erant Japydibus, ubi inter Sontium & Sa-vum diffusi erant, recuperatis antiquis sedibus. Hinc supra Timavum hodieque extat Goritia sic

à No-

à Norico dicta quasi Noricia, si non fuit ipsa vetus Noreja. Neque audiendus est in hoc Cluverius, qui Norici limitem meridionalem à Celeja deducit ad fontem Savi, inde ad fontem Sontij, quia nullo fidejussore id agit, ea solum ratione inductus, quod Savus à Plinio scribatur fluere ex Alpibus Carnicis, sed Alpibus mansit nomen etiam si inde in planum deducti fuerint Carni. Nam & ipse fatetur Carnos initio fuisse Alpinam gentem, & ab Epitomatore Livij sic dictam, postmodum à Romanis accepisse partem Veneticæ oræ à Tilauempto usque ad Formionem amnem, ob quod Orosius eos appellavit, gentem *sub radice Alpium sitam*, quod signum est nova divisione Provinciarum facta per Romanos, partem veteris Carniæ Inalpinæ fuisse Norico attributam, & partem veteris Norici Pannoniæ. Unde etiam Nauportum, quod Strabo Tauriscorum Coloniam scripsit, seu quod idem est Noricorum, id postea Tacitus & Vellejus in Pannonia reposuerunt. Cœterum ego limitem Meridionalem Norici melius puto designari à Celeja usque ad ripam Savi, ad quam existimo continuatum montem Cetium, ubi hodiequè Caluaster mons uno milliari Labaco distans, & non absimilis Cetio propè Viennam sito, idem cum illo nomen Germanicum retinet, dictus Calenberg: à quo deinde alia juga se Caravancæ maritant, seu Ocræ, quæ modo appellatur Crainenburg. Unde Crainburgum, Neomarkha & cœtera loca trans Savum nihil dubito ad Noricum pertinuisse, etiam si darem quod latus Occidentale Savi, & partem lateris meridionalem accoluerint Carni, inclusò eorum Regioni fonte Savi. Et hoc ad mentem

Ptolomæi, qui expressè ait: *Quod inde est supra Istriam eo monte qui Carvancas appellatur.* Est limes Norici non immediate supra Istriam, sed mediante Japydia & Carnia. Quis verò sit mons Carvancas mox aperiendum, & tunc plenè satisfiet quæstioni, quis fuerit limes meridionalis Norici. Interim ex hoc liquet, quæ sit illa pars Pannoniæ Superioris Norico contermina, quod erat primum quæsitus: est videlicet illa quæ Celeja sub montibus protenditur ad ripam Savi prope Labacum, & ultra ad montem Carvancam, seu Oram, unde sequitur in extremo limite veteris Pannoniæ situm esse Labacum, & sub Norico.

VII. Mons Ocra nominatus Straboni & Ptolomæo quis fuerit, cum alij de eo sileant, ex his ipsis investigandus est Strabo: *Japydes quoque circa haec habitant loca, & Ocra his contermina est.* Et alibi: *Ocra pars est humillima Alpium ab Rhætia ad Japydes usque porrectarum.* Apud Japydes rursum se attollunt montes vocanturquè Albij. Similiter & à Tergesto vico Carnico transitus est per Oram ad Lugeam paludem. Hæc Strabo: ex quibus facile mentem ejus assequaris Oram dici illud montium jugum, per quod hodie Goritia Labacum proficiuntur. Sed Ptolomæus his ejus finibus non contentus Oram continuat Alpibus Penninis. Nam describens Rhætiae latus meridionale ait: *Meridionale vero Alpium montibus hinc supra Italiam extensis, quarum que apud Grajas sunt gradus habent 30 &c. quæ autem ad Versus Pœnas sunt juxta principium Lici annis, &c. gradus tenent 31. &c. que vero ad Oram sunt montem gradus habent 33. &c.* Arguit hoc loco Cluverius Ptolomæum erroris, quod Penninarum Alpium nomen inter Li-

Strabo.lib.

4. Idem.li.7.

Ptolom.li.

2. cap.12.

Cluv Ital.
lib.1.c.32.

ci fontem & Oram montem, qui initium Carnorum agri à fine Rhætorum faciebat, in Rhæticis Alpibus statuit. Unde ait Cluverius de Ptolomæo : *Ut in Cotijs atque Graijs, sic etiam in Penninis turpissimè erravit.* De hoc ego nullam Ptolomæo indico litem ; illud tamen miror quod Oram montem tam procul extenderit, nisi forte hic sensus sit, quod Rhætiam à meridie terminent Alpium montes, qui super Italiam extenduntur, & id quod de Ora subjungit accipiendum non pro limite Rhætiæ, sed pro continuatione limitis extra fines Rhætiæ ; Puto ergo à Ptolomæo per accidens nominatum montem Ora, eo quod continuetur Alpibus illis, quæ sunt limes Rhætiæ. Et hoc ex alio loco Ptolomæi ostendo : describens quippe Italiam ait : *A Septentrioni, bus autem terminatur Alpium jugis quæ Rhætiæ imminent.* Præterea Pœnis, & Ora & Carufadio montibus qui sub Norico sunt. Non ergo Ora sub Rhetia, sed sub Norico. Initium ejus est ad fines Alpium Noricarum, & vocatur alio nomine Alpes Carnicæ, Eringebürg à Germanis. Id colligo ex Plinio ubi ait : *In Danubium defluit Dravus è Noricis Savus ex Alpibus Carnicis,* quæ Alpes cum invicem continentur & protendantur usque ad Nauportum & ultra in meridiem juxta & Occidentem, optimè divinat Cluverius eundem montem pro diversitate partium diversa nomina sortitum esse ; quamvis ipse non exactè unam partem ab alia discribevit, dubitans an non erraverit Ptolomæus nominando Carusadium montem pro Carvanca : quin etiam hæsitans ubi Tullum & Phlygadia montes in hoc terrarum situ ostenderet, quorum Strabo meminit his verbis, cum de Alpibus agit : *Alia binc*

Ptol. lib.
3. c. 1.Cluver.
Ital. lib. I.
c. 32.Strabo lib.
4.

Illyrico sunt ob-versa, & Adriae; ut Apenninus mons
jam ante dictus, & Tullus ac Phlygadia, & montes suprà
Vindelicos, ex quibus Duras & Clanes, aliquae complures
impetuosi amnes in Istrum confluunt. Japodes quoque
circa hæc habitant loca &c. Totum hunc locum vi-
tiatum existimat Cluverius & pro Duras & Clanes
legendum Dravus & Savus. Additque: Partes igitur
Ocræ eminentiores fuere Alpius, Tullus & Phlyga-
dia montes. Horum autem singuli qui hodie sint habendi,
baud facilè quisquam dixerit, nec equidem ego præstiterim.
Hæc ille, quæ tamen utcunquè per conjecturam
ab invicem distinguere potuisset. Nam intra Car-
nicas & Noricas Alpes adhuc Tullmetum Carniæ,
& Tullminum Idriæ, & Phlitsch Carinthiæ à vici-
nis jugis denominata primævum referunt nomen.
Quare ego de monte Ocra sic statuerem. Ut cum
dicat tam Strabo quam Ptolomæus Oram à Rhæ-
tia ad Japydes usque extendi, idem mons Ocra di-
catur Alpes Noricæ, ubi defuit Dravus, Alpes Car-
niæ ubi effluit Savus, Tullus magis interius ubi
Tullminum Idriæ, Phlygadia in Norico ubi Phlit-
schium. Deinde dictus est Carvanca, quæ per su-
periorem Carniolam circa Radmonstorium &
Crainburgum curvatus à Septentrione in Meri-
diem flectitur, quo usqne Hyperlabaci triplex no-
men sortiatur. Dicitur enim Ocra Straboni qua
iter Labaco Goritiam patet, cuius pars magis ar-
dua nomen habet Alpium Julianum: hinc dextra
qua Carnos attingit Carvançæ nomen servaverit,
laeva, qua Istriæ obvertitur Carusadius, dicta fue rit,
servatque adhuc hodie vetus nomen Carsum vel
Carsus, qua via Tergestum dicit. Huic conti-
nuatur Orientem versus Albius mons, adhuc ho-
die

Gluver.
Ital. ant.
lib. I. cap.
cit.

die sic appellatus , Germanis Alben, & in longum procurrens usquè ad Bebiosmontes. Atqne hæc ad supra propositam secundam quæstionem, quis sit ille mons dictus Carvancas , quem pro parte limitis Meridionalis Norico assignat Ptolomæus. Pergamus ad tertium quæsitum.

VIII. Quis Carvancam montem ea parte qua meridiem respicit & in Occidentem fertur simul sortitus nomen Alpium Julianum, & Carusadij incoluerit tempore Ptolomæi, ex ijs facilè constabit , quæ paulo ante num. 6. insinuata sunt. Si enim uti ex Plinio retulimus Japydes usquè ad Timavum fluvium extensi fuerunt, & ab altera parte quod nunc ostendam non tantum Istriam sed & Liburniæ partem ambiverint & per Alpium montem utroque latere habitaverint , jam certum erit Carvancum montem à Japydibus habitatum. Præter dicta igitur superiore numero. 6. hæc nostro instituto deserviunt. Virgilius Timavum Japydibus adscripsit.

— — — aëreas Alpes & Norica siquis

Castella in tumulis, & Japydis arva Timavi.

In quæ Scholia stes Servius, primam modo Japydiam ingressus, hujus est fluvius Timavus. Duplicem Japydiam elicit Joannes Lucius ex antiquis Scriptoribus, unam maritimam & sub Alpinam, alteram , Jnalpinam. De prima Dion : cum de Augusto scribit : *Cæsar Japydes ipse bello petijt, quorum eos qui citra montes haud procul è mari habitabant, non omnino difficuler in suam potestatem redigit : qui verò montium vertices, & ultraquæ latera incolebant, eos non sine maximo labore perdomuit.* Ecce Japydes Cisalpini , & Inalpini : de Transalpinis dissertè Appianus : *Japydes*

Virg. 3.
Georg.

Dion. lib.
49.

Appian. in
Illyr.

Tranſalpini gens valida ac fera, bis intra viginti ferè annos Romanas copias repulere. Clarissimè Strabo ſitum Japydum designans : siti namquè ſunt Japydes in *Albio monte*, qui finis eſt *Alpium*, admodum alto : atquè illic ad *Pannonios & Iſtrum*, hinc ad *Adriam* porriguntur. Ex quo manifestè confequitur Carvancam & Caruſadium à Japydibus habitatum : eosque ultrius ad Orientem per Albium montem ab utroque latere fuiffe conterminos Liburniæ & Pannoniæ. Atque adeò hodiernum Senoſetz Adelsperg, Cirkhniz, Laas, Oblack, Reiffniz, Gottſchee & alia vicina loca omnia fuerunt Japydiæ inclusa. Oppida quæ recenſet Strabo Monoëtium, Avendum, Arupium, Metulum, cujus meminit Appianus, Urbs dicta Terpo vel Terporum, ubinam ſterint divinandum. Ego Metulum juxta descriptionem Appiani deprehendi proximè ad Oblakh in duobus collibus, quos modica vallis interſecat, ubi licet rudera nulla amplius extent, nomen tamen pagi dicti Metule vetustum refert nomen. In Laas verò ſupra Eccleſiam Parochialem in colle existimo fuiffe Terponum quia locus vocatur Stari Terg id eſt vetus Oppidum, forte corruptè pro Stari Terp. Visuntur adhuc ibi multæ ruinæ murorum, & gemini lapides in quorum altero literæ omnes extirratae ſunt labarum tamen Romanum ſculptum certinatur ; in altero fracto media adhuc inſcriptio legitur. De cœteris nihil certi poſſum ſtatuere,

I X. Ex hoc jam patet ad quartum quæſitum, & dubium ex Ptolomæo, an Iſtria fuerit aliqua parte contermina Norico. Videtur enim quod ſic, cum dicat Ptolomæus Noricum terminari eo monte qui *Carvancas ſupra Iſtriam*, ſed reſpondet ne-
gativè.

gativè. Licet enim Noricum usque ad montem Carvancam extensum fuerit, & licet concedetur, quod adhuc sub dubio est, montem Carvan-
cam usque in Istriam protractum, cum ibi potius Carusadij nomen habuerit, est tamen Carvana terminus exclusivus Norici, & extra Noricum; & quia latè diffusus constituit integrum Provinciam à Japydibus habitatam, non potest dici Istriam fuisse immediate Norico conterminam, sed me-
diatè, mediantibus scilicet Japydibus, & fortè etiam Carnis ab una parte, ab alia verò Japydibus & Pannonibus. Quæ sanè omnino ad mentem Plinij & Ptolomæi principum Geographiæ Scriptorum, alterius Latini alterius Græci in medium ad-
ducta deprehendet, qui assiduâ lectione plures au-
thores evolverit, & demum Plinium cum Ptolo-
mæo contulerit. Quod si quis contendat Carnos tempore Ptolomæi latius habitasse, quam ipse Ptolomæus insinuet, id non difficulter admisero, reducta nonnihil proprius ad Pannoniam Japydia Cisalpina & Inalpina, ut in summis Alpibus Italæ terminus concedatur. Sed neque sic Istria in me-
diatè contermina Norico dici poterit, quin potius retractior, quam si inter eam & Noricum soli Japydes intercedant. Cœterū si Japydes (ut ego existimo) ætate Plinij & Ptolomæi à Timavo per Oram & Carusadium Albiosquè montes habita-
bant, concedendum erit (licet tergiversetur Clu-
verius) partem Japydiæ fuisse adscriptam Italæ, & hinc fortè Ptolomæus scripsit: *Istria hærent Japydes*, nulla postea eorum mentione factâ, quasi computarentur pro una Provincia seu Regione Italæ cum Istria, licet essent Illyrici. Quod neces-
fariō

sario videtur concedendum , sicuti Vellejus loquitur summa Alpium juga (nempe Julianum) Italiā terminabant , quæ utique per Oram & Carusadiūm Albanumque diffusi Japydes incolebant , in Occidentem ad Timavum usquè protensi , in Orientem verò ad inferiorem Pannoniam , uti supra ostensum ,



CAPUT II.

Æmonam veterem esse hodiernam Labacum solidis argumentis ostenditur.

§. I.

Argumenta ex antiquis Geographis.

I.

Strabo lib.
4.

Primus occurrit Strabo , qui licet Æmonæ mentionem non fecerit , Nauportum tamen , de quo par cum Æmona quæstio est , non semel nominavit . Hic ergò de Naupo^rto Colonia hæc habet : *Ocra vero bumillima proksus Alpium pars est , ubi Carnis adjungitur , qua ex Aquileia onera plaustris ad Pamportum (sic enim appellant) devehuntur : stadia non ultra CCCC. iter est . Inde per fluvios ad Istrum usquè vellantur , locaque huic vicina . Per quos vero fluvios vehantur onera mox subjungit . Pamportus enim annis ex Illyrijs navigabilis defertur : intrat autem Savum , ut facile in segestanum Oram , & Pannoniam , & Tauriscos delabatur . Situm Aquilejæ scimus , situm & fluxum Savi scimus : Ocra quæ sit explicuimus , ergo iter ostendendum est ab .*

ab Aquileja per Ocrum donec perveniat ad flumen navigabilem ex Illyricis descendente, & se in Savum exonerantem, cui apposita sit Colonia ejusdem nominis. Et talis fluvius est Labacus, qui in Savum se exonerat, oriturque in Illyricis, quia Japydia accensebatur olim Illyrico, ad cujus originem extat hodieque Oppidum cognomine Oberlaybach, seu Hyperlabacum, ad quod merces ex Italia, & olim ab Aquileja, cum floreret, onera plaustris devehebantur, & adhuc devehuntur; ergo Nauportus vetus Tauriscorum Colonia, & ejusdem nominis eam alluens fluvius Nauportus, est Hyperlabacum Oppidum, & Labacus fluvius. Quod verò apud Strabonem legatur Pamportus, id doctiores attribuunt errori amanuensis. Nam de eadem Colonia alibi idem Strabo: *Post promontorium ex Aquileja condescendentibus Nauportum stadia sunt CCCL. ad quam Rheda perducuntur. Ea verò est Tauriscorum Colonia: quamquam nonnulli quingenta esse dicant. Promontorium illud quedam est Alpium pars humillima, quæ ex Rhætia usque ad Japydes porriguntur. Hinc montana attollitur denuò ad Japydes Regio, quam Alpiam vocant. Pariter è Tergesta pago Carnico transmissio est per promontorium ad Paludem nomine Lugeum. Nauperto proximus est fluvius Corcoras, qui onera excipit. Hic sanè Sabon intrat, sabusque in Drabon ingreditur: hic verò in Noaron penes Segestam. Hinc Noarus augetur accepto Colapi, qui ex Albio monte fluens per Japydes Danubium illabitur ad Scordiscos.* Ita Strabo ex versione Guarini Veronensis: & ferè eodem modo paucis verbis mutatis recentior Interpres apud Cluverium, qui locum depravatum conatur restituere. Illud hoc loco cum ipso notare sufficiat:

Strabo lib.

7.

Cluver.
lib. 1. Ital.
c. 32.

errasse nonnihil hīc Strabonem , quia nequè *Savus* in *Dravum* influit, nequè *Dravus* in *Noarum*: qui in rerum natura nullus est. In *Savum* *Colapis* incidit ad *Segesticam Insulam*, & *Segestam* siue *Sisciam* oppidum, quod hodie *Sissek* dicitur : ipse *Savus* ad *Taurunum* oppidum in *Danubium* delabitur. Quapropter rectius supra libro IV. merces ait vehiculis ab *Aquileja* per *Ooram* montem *Nauportum* deferri , inde *Nauperto* ac *Savo* fluminibus *Segesticam*, &c. Notat etiam alibi & merito *Pampor-*
to & *Nauperto* , legendum esse *Nauperto* ; & sic legitur etiam apud Plinium aliosque Authores, ut videbimus. Interim ex hac licet nonnihil corrupta *Nauporti* situs descriptione habetur *Nauportum* vetus fuisse ubi nunc est *Hyperlabacum*, vicinum *Japydiæ*, ad quod non tantum *Aquileja* , sed & *Tergesto* adhuc hodie merces tranvehuntur per *Ooram* promontorium, itinere circiter CCCC. stadiorum , vel ut alio loco melius dicit stadiorum D. tot quippe ferè stadia elicies ex LXII. M. P. quæ *Aquileja* *Nauportum* numerat Antoninus , si octo stadia pro uno milliari Romano, & rursus pro uno milliari Germanico quatuor milliaria Romana computaveris. Et certè *Hyperlabaco* *Aquilejam* si pergas , quindecim circiter Germanica milliaria cum dimidio numerabis, quæ per quatuor multiplicata reddunt LXII. millia passuum Romanorum , & si hæc per octo multiplices, habebis CCCCXCVI. stadia, seu quasi D. stadia. Quod verò stadium unum veteres computaverint pro centum viginti quinq;
passibus , & octo stadia pro mille passibus, habes apud Plinium , Herodotū, Polybium , Gellium, & alios : quæ tamen non possunt adeò exactè definiri & mensurari, ut non plus minus alicubi deesse vel abun-

Plin. lib. 2.
c. 23. *He-*
rod. Polyb.
Gell. ap.
Cluver.
Germ lib.
z. Proœm.

abundare videatur, ut apud omnes nationes in confesso est, quæ variè sua milliaria determinant, ut sœpè unum altero dimidia ex parte sit longius. Hinc Strabo intelligendus est adstruere spatium verosimile, non accuratè observatum. ubi lib. 7. ponit CCCL. stadia. legendum est CCCCL. quia addit, velut alijs placet D. stadia.

I I. Ex his jam conficio primum argumentum. Juxta descriptionem Strabonis Nauportum vel Nauportus Colonia cum fluvio ejusdem nominis sita fuit versus Pannoniam, qua Savo influit Nauportus fluvius, sed proximè ad Labacum unicò nempe milliari infra Labacum fluvius Labacus Savum influit, isquè ex Illyricis montibus, seu monte Albio (ut Strabo describit) originem trahit, nec alias similis fluvius assignari potest vicinior Ocræ monti, ergò Labacus hodiernus est Nauportus veterum, & Hyperlabacum hodiernum est Nauportum antiquorum ad quod merces in Savum invehendæ vehiculis devehebantur, prout adhuc hodie devehuntur. At quid hoc ad Æmonam? multum sanè; quia Æmona omnium consensu locari debet prope Nauportum, & locatur ab antiquis inter Nauportum Coloniam & Savum fluvium, qui situs est hodiernæ Civitatis Labaci: igitur extra controversiam esse debet, Æmonam veterum nusquam alibi locorum stetisse, quam ubi modo stat Labacum Metropolis Carnioliae.

I I I. Alter vetustus Geographus est Plinius, qui non solum Æmonam nominat, sed etiam Nauportum fluvium Savo confluentem designat: Hic ergò ait: *Ad Septentriones Pannonia vergit (nempè post Dalmatiam & Illyricum) finitur inde Danubio.*

In ea Coloniæ Āemona, Siscia. Amnes clari & navigabiles in Danubium fluunt. Dravus è Noricis violentior, Savus ex Alpibus Carnicis placidior. Et alio loco in rem nostram. Istriam cognominatam tradunt à flumine Istro in Adriam effluente, eidemquè Istro ex adverso Padi fauces, contrario eorum percnssu mari interjecto dulcescente, plerique dixerunt falso, & Nepos Cornelius etiam Padi accola. Nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argō navis flumine in mare Adriaticum descendit, non procul Tergeste, nec jam constat quo flumine. Humeris travectam Alpes diligentiores tradunt. Subiisse autem Istro, dein Savo, dein Nauportu, cui nomen ex ea causa est, inter Āemonam Alpesquè exorienti. Hic ordinem narrationis nonnihil interturbat Plinius, ut ferè solet suā brevitate obscurior, nihilominus si benè advertas hæc adstruit; Istriam ab Istro flumine in Adriam effluente nominatam plerique veteres dixerunt, sed hoc est falsum. 2. dixerunt etiam Istrum illum fuisse ex adverso Padi, & hoc etiam est falsum.

3. Nepos Cornelius, qui hoc putabat, licet cum fuerit Padi accola scire debuisset, erravit.

4. Nullus amnis ex Danubio in Adriaticum mare fluit.

5. Decepti sunt, qui illud senserunt, quia Argō navis, quæ per Istrum delata est dicitur flumine aliquo in mare Adriaticum descendisse.

6. Non tamen constat quo flumine.

7. Diligentiores scrutatores hujus navigationis, tradunt quod humeris travecta sit per Alpes, postquam

8. Subiit (sive ascendit à Ponto) Istrum dein Savum dein Nauportum flumen.

9. Qui

9. Qui Nauportus oritur inter Alpes & Æmonam, & nomen habet ab illa navi, quæ ibi in portu constituit.

IV. In hac narratione, quæ novem propositiones continet supponit Plinius, quod alij exactius scripsierunt, quod Argonavis adversis fluminibus ascenderit sive subierit è Ponto primum, Istrum sive Danubium, deinde Savum, & demum Nauportum : imò id expressè affirmat, sub dubio verò ait, quod aliquo flumine post Alpes superatas descenderit in mare Adriaticum, uti ex brevi hac narratione colligitur : sed fatetur se necire quo flumine descenderit. Examinemus nunc singulas propositiones. Primam, secundam, tertiam, & quartam velut sole meridiano clariorem nullus hodie etiam Adversariorum defendet, licet aliqui antiqui & inter eos Cornelius Nepos eas veras esse censuerint. Quinta est disputationis materia, utrum Argo navis post Alpes superatas imposita fuerit alicui flumini? Affirmant Sozomenus, Cassiodorus sive collector Historiæ Tripartitæ, Freculphus, & illi qui erroneè putarunt Istrum in mare Adriaticum exonerari Sozomeni verba sunt : *Operâ incolarum adjuti Argo navim CCCC. circiter stadia per terram machina quadam trattam deduxerunt in Aquilim fluviūm, qui in Eridanum influit; Eridanus autem in mare Italicum exit.* Hoc factum refert Sozomenus post conditam Æmonam sequenti æstate. Sed vel ipsis fluviorum nominibus error deprehenditur, nullus quippe fluvius dictus Aquilis in rerum natura, qui prope Alpes currat vel Eridanum influat, alio nomine Padum dictum. Martialis putat Argo navim Timavo impositam defluxisse in

*Sozom. lib.
I. c. 6. Hist.
Tripart. li.
I. c. 7.
Freculph.
To. 2. lib.
4. c. 25.*

Adriaticum mare , unde canit de Polluce Jasonis comite :

Martial.
Epigr. 25.
lib. 4.

Virg. lib. 3.
Georg.

Strabo lib.
2.

Justinus lib.
32.

Zosim. lib.
5.

Cluver.
Ital. Ant.
lib. I. c. 31.

*Et tu Leda o felix Aquileja Timavo
Hic ubi sexenras Cyllarus baufit aquas.*

Leda erat Castoris & Pollucis mater, Cyllarus vero equus Pollucis, ut & Virgilius canebat :

*Talis Amyclae domitus Polluci habenis
Cyllarus.*

Ad quem locum Phylargyrus Commentator. *Xanthum dicit & Cyllarum equos, quos Neptunus Junoni dedit, ille Castori & Pollaci, ut Poëtae Græculi fabulantur.* Alij per Histrum fluvium Argo navim descendisse in Adriam asseruerunt de quibus Strabo. *Quidam etiam bonam Istri partem ad verso flumine sub-vestum Jasonem cum suis tradunt; nonnulli usque in Hadriam, ignorantie scilicet locorum decepti.* Alij etiam Histrum quendam fluvium ex magno Histro ortum in Adriam influere ajunt, &c. Negant vero per aliquem fluvium ultra Alpes in mare deductam Argo navim. Justinus, cujus verba sunt: *Qui ut à Ponto intrauerunt Histrum, alveo Savii fluminis penitus in velti vestigia Argonautarum insequentes naves suas humeris per juga montium, usque ad littus Hadriatici maris transtulerunt.* Cui consentit Zosimus *Argo machinis imposita perquæ stadium CCCC. spatium usque ad mare pertracta Thessalorum litoribus adpulerunt:* Ad quem locum monet Cluverius: *Thessali autem apud Zosimum intelligendi, qui Spianam & Ravennam condiderunt, habitaruntque apud Pandi ostia, &c.* Ex quibus saltem elicetur dubium esse an inter Nauportum & Adriaticum mare alicui flumini fuerit imposta Argo navis: nullum vero dubium esse quod usq; ad Nauportū perducta fuerit. Et quod post Nauportum ad mare intercesserint circiter

circiter D. stadia. Porrò sexta Plinij propositio bene advertenda est : quod dicat , *Nec jam constat quo flumine*. Unde etiam si verum esset, quod Argo post Alpes alicui flumini fuerit imposita, non constaret tam ex mente Plinij cuinam flumini post Alpium transcensum innataasset : consequenter non posse dici, quod ille fluvius post Alpes fuerit Nauportus, tum quia quod Nauportum ex Savo subierit constabat Plinio , tum quia dicit Plinius Nauportum subiisse, id est adverso flumine ascendisse , non vero in mare descendisse. Tum quia Nauportus non est post Alpes, sed ante Alpes. Septima Plinij propositio est , quod diligentiores Scriptores tradiderint Argonavim humeris travectam per Alpes. Id humanis viribus impossibile indicavit Lazius, quia scilicet verba Plinij nimis materialiter accepit , & rustico ut ita dicam sensu. Non enim opus erat integrum navim transferre , sed compagibus solutam & rursum alio loco eadem arte , quâ primum facta fuerat compaginandam , cum interesset expeditioni Argus primus ejus navis fabricator. Vel certè moralis translatio intelligi potest , quod navem primam ad Nauportum reliquerit , & ad maris Adriatici littus novam fabricaverit. Quid verò opus fabulas veterum novis fabulis augere , ut facit Lazius, qui ait : *cum ad fontem Labaci , qui est ad Labacum superius ascendissent superato monte Et nemo re Istriam despectabant , cumquè in radice aliorum fluviorum fontes , ut Formionis ac Frigidi considerassent , qui usquè ad mare ducerent , Etc. arte bac labore improbo montem subtus excavaabant , atquè ita sub monte , tanquam per specum profundum ac latè ducentem navem in Istriam Etc. perduxerunt*. Hoc peritis locorum multò minus pos-

Laz. Com-
ment. Reip
lib. 12.
seq. s.c. 6.

possibile videtur , quam per montes transferre navem. Sed inquit Lazius : *Suprafontem Labaci ubi nemus incipit, quod in Istriam dicit, unius magni milliaris spatio specus est in scopulo amplissimus, qui ad medium milliare usque hominem ad lucernam dicit, & subinde à multis tentatus est, qui in Istriam usquè sub terra pervenissent, si præ scaturigine rivorum, qui istic ex specu in Istriam defluunt, potuissent.* Penetrare verò hanc excavationem anser docuit in specu ubi incipiunt scaturigines, depositus, qui notando haud procul ab Adelspergo castro, in solum Istriae egressus est. De specu quæ narrat vera sunt, & hodie videri possunt. Verùm ad illius specus scaturiginem à Labaci fluvij fonte sive Nauporti origine magnum spatium interjectum est, quomodo ergo ad illam specum perveniret Argo navis ? An statim à fonte Nauporti excavatio illa laboriosa incepit ? & ubi illius vel modicum vestigium ? Admitto post Nauportum ab altera montis parte flumen Frigidum sive Vipacum erumpere, quem ex situ loci conjectamus ab eodem fonte cum Labaco seu Nauporto nasci, qui deinde per Vipacensem agrum decurrens tandem Sontio miscetur, & in mare delabitur. Admitto etiam ab hoc monte alium flumen erumpere quem vocamus Alben Latini Formionem dixerunt, Itali Risanò appellant, qui Adelspergum præterlabitur, sed procul valdè à Nauporto, uterque tamen navigabilis tunc esse potuit, & deportare Argo navim in Adriaticum mare , interim manet difficultas quomodo à fonte Nauporti per montem saxis horridum translata sit. Si dicas novam navim fabricatam post montem transcensum, dicam ego credibilius esse quod novam sibi navim Jason fabricaverit

verit ad littus maris. Nequè enim illi fluvij Frigidus & Formio statim initio tales sunt , quales Danubius, Savus, & Labacus, ut navem mari Adriatico transmittendo parem transferre possint. Hæc incidenter. Et manet adhuc verum , quod ajebat Plinius , non constare quo flumine Argo navis in mare descenderit : imò non constare an aliquo flumine. Octava Plinij propositio est quæ ordine narrationis naturali præmitti debuisset. *Subiit autem Istro dein Savo , dein Nauperto.* & tum demum subdit : *Humeris tra-vectam Alpes.* Ex hac indicatur continuatio trium fluviorum navigabilium usquè ad Alpium Julianum radices. Et quia non est difficultas de Istro seu Danubio, neque de Savo , qui nomina adhuc retinent , de Nauperto probatur quod non sit alius quàm fluvius Labacus : quia hic continuatur Savo , & in illum se exonerat, & est navigabilis ultro citróq;, multo magis quàm Ister & Savus. 2. quia nullus alius fluvius ostendi potest in Savum prolabens , cuius fons propinquior sit radicibus Alpium Julianum , quàm Labacus. 3. quia Nauportus fluvius fuit vicinus Nauperto Coloniæ prius Tauriscorum, posteà Pannorum, & ex descriptione limitum, ut supra dictum , Hyperlabacum hodiernum , quod vetus esse Nauportum asserimus, situm est in fine veteris Pannoniæ , igitur citra dubium hodiernus fluvius Labacus , est vetus Nauportus. 4. quia Strabo disertè testatur illum Savo influere , licet errore amanuensis modo Pamportum, modo Nauportum nominet. Nona deniquè propositio Plinij : *Nauportus oritur inter Æmonam & Alpes.* Planè evincit Plinium collocare Nauportum prope limitem Pannoniæ , & non procul inde Æmonam constituere. Cum ergò nuspiam

alibi in limite Pannoniæ ostendi possit fluvius Savum illabens, vicinus Alpibus, & ortum habens propè Alpes, præter unum Labacum, dicendum est hodiernum fluvium Labacum esse veterem Nauportum & vicinam eiæmonam esse Labacum: talem quippe situm habet fons Labaci cum sit inter Alpes & Labacum urbem. Quæ omnia clarius ex sequentibus elucescent.

V. Tertius antiquus Geographus pro nobis sententiam ferens est Ptolomæus Pelusiota dictus Alexandrinus, quia scripsit & observationes fecit Alexandriæ. Hic licet Nauporti non meminerit, proprium tamen Æmonæ assignat locum, ubi ait in fine Pannoniæ superioris post enumeratas reliquas Urbes, *inter Italiam vero sub Norico Pannoniæ iterum civitas Emona*. Quasi diceret in limitibus Italiæ & Pannoniæ sub Norico, Pannoniæ nihilominus Civitas Æmona: vel: in limitibus Italiæ, Pannoniæ, & Norici, quasi in angulo trium Provinciarum sita & omnibus contermina. Unde versio Donni Nicolai sic refert præfata verba: *In limite Italiæ sub Norico iterum Pannoniæ civitas Mona*. Talis autem est situs Labaci. Quia si Italiam respicias, eam habet Labacum à Meridie sibi vicinam, quia noctis dimidiæ navigatione ad Alpes prævenitur Julias, aut saltem earum radices ubi Hyperlabacum seu Nauportum situm est. Si Noricum respicias proximi ad Labacum montes occidentales, quos intra horam facile accefferis, sunt limes Orientalis Norici, montes scilicet Carnici seu Carvana. Si Pannoniam respicias hæc à Meridie adhuc paulo ultra Hyperlabacum Ptolomæi ætate protendebatur, ad Orientem vero infra Labacum extensa

tensa fuit in longum. Ergò idem situs est Labaci modo, qui olim fuit Æmonæ. Firmat hoc Zosimus, cum Alarici Regis transitum ex Epiro in fines Pannoniæ superioris, & deinde in Noricum describit. *Relictis Epiris, & angustijs, quæ è Pannonia transitum ad Venetos impediunt, superatis apud Hemonam castra locavit, quæ Urbs inter Pannonię superiorę & Noricum sita est.* Ecce post angustias (id est Alpes Julias sita est Hemonia inter Pannonię superiorę & Noricum : quali situ cernitur hodie Labacum. Ubi observare licet lapsum Cluverij, qui ait: *Falsum esse quod ait Zosimus Alaricum superatis angustijs quæ transitum è Pannonia in Venetiam arcent, tandem apud Hemonā consedisse, quippe hæc primum erat transeunda ante quam ad angustias, id est Alpium Julianum transitum perveniretur.* Observare debuisset Cluverius iter Alarici non immediatè è Pannonia, sed ex Epiro suscepit. Quare profectus ex Epiro transivit Mace- doniam, Dalmatiam, Liburniam, & Japydiam relictâ ad lœvam Istria per montes Carusadium & Al- bium, ubi Japydes erant iter fecit, qui ipsi montes cum Alpibus Julii conjuncti angustias efficiunt & transitum ad Venetos impediunt : post quos cir- cuitu facto Hemonam venit ibique consedit. He- mona progressus accessit ad Noricum per Alpes Carnicas quibus conjunctæ Alpes Noricæ, ingres- sus est Italiam novo circuitu, non per Julias Alpes, sed supra per Pontebam, qua via etiam subindè utimur Labaco proficiscentes in Forum Julium, non tantum per Alpes Julias : Nihil ergo in hoc erra- vit Zosimus describens iter Alarici semper ambi- gu quo se converteret.

V 1. Et quia de situ Æmonæ solum cum Istris
E 2 seu

Zosim. lib.
5.

Cluver.
lib. 1. Ital.
Ant. c. 31.

seu Istrianis (ut eos hodie nominamus) controversia est , qui Æmonam volunt in sua Istria collo-
 care ad ripam fluminis Quietis , qui ferè medium
 secat Istriam , & propinquior est Polæ , quā Alpi-
 bus , uti observare licet ex omnibus mappis Geo-
 graphicis , ex eodem Ptolomæo clarè ostendo Æmo-
 nam in Istria nullam unquam fuisse . Et primo
 quidem accipio mappas Veteres ab ipso ut existi-
 matur Ptolomæo formatas , quæ ferè omnes ad
 amissim sibi correspondent , quoad designationem
 fluviorum & montium licet nonnihil discrepent in
 locorum dispositione , quia nonnulla nomina à Re-
 centioribus sunt adjecta . Inspiciantur ergo Map-
 pæ & Tabula Europæ . Quinta apud Ptolomæum
 editionis Venetæ authore Josepho Moletio Anno
 1564 . Rursum editionis Coloniensis authore Jo.
 Antonio Magino Anno 1597 . Item Josephi Rosac-
 ej editionis Venetæ Anno 1599 . Præterea vetu-
 stiores Nicolai Donnis editionis Utinensis Anno
 1482 . Item Petri Freulander manuscripta , quas
 ad manum habeo . In his omnibus observabitur ,
 quod à Septentrione in Meridiem , à Meridie in Oc-
 casum designetur tractus continuus montium ,
 quorum initio ponitur Juliobona , quæ est Vienna
 primo loco superioris Pannoniæ nominata à Pto-
 lomæo : in fine anguli qua se montes illi flectunt
 in Meridiem & Occidentem notatur sub radicibus
 Emona : proxima ad hunc versus Orientem cum
 modica flexione ad Septentrionem ponitur Peto-
 vium . Infra Æmonam ponitur mons Carvancas ,
 meridiei obversus , & penes eum Mons Albanus ,
 ita ut à parte Septentrionali horum montium si-
 gnetur Æmona . Deinde ultra illos montes ad me-
 ridiem

ridiem notatur Peninsula sinus Adriatici in qua unicum nomen Scriptum legitur Pola, ut colligatur, illa Peninsula Istriam repræsentare : & sub monte Albano versus Orientem notato scriptum legitur Japydes. Atque hoc saltem ex Mappis habetur, quod inter Æmonam & totam Istriam intercedant toti Carvancas & Albius mons. Ergo Æmona non spectat ad Istriam, sed ad Pannoniam superiorem, cum paulò supra nomen Æmonæ majusculis ad scriptum legitur P A N N O N I A S U P E R I O R. Hoc vel cœcutiens videat. Sed dimmittamus mappas. Examinetur textus Ptolomæi. De Æmona jam retulimus, quod Ptolomæus in descriptione Pannoniæ superioris cum Civitates enumerare vult, incipiat à Danubio, qui est limes Septentrionalis Pannoniæ superioris, & ponat primo loco Juliobonam, quam alij Vindobonam & Vindomanam nominant, estquè Vienna Austriae caput : progreditur deinceps ad alia loca, & postremò omnium nominat Prætorium, Magnianam, quorum Magnianam divinenter alij, Prætorium verò est Prætorium Latobicorum, quos circa Labacum fuisse ostendunt tabulæ Antonini, & ipse Ptolomæus dicit allegato loco : *Tenent autem Provinciam (id est Pannoniæ superioris) à parte Septentrionali Azali, à Meridie verò Latobici sub Norico.* Unde ego ex distantia locorum in Antonino Prætorium Latobicorum colloco circa Rudolphswertum, ubi adhuc paulò infra ostenduntur vetustæ Civitatis rudera, qua iter est ad S. Bartholomæum in Campestribus, ut vocant. Post Prætorium & Magnianam nominatam ponit Ptolomæus : *Inter Italiam verò sub Norico Pannoniæ iterum civitas Emona, quasi*

diceret ultima à parte Meridionali Pannoniæ superioris Civitas Emona sub Norico, uti & Latobici populi sub Norico, Pannoniæ superioris inquilini, quos idcirco Moletius sub Æmona ante montem Albanum designavit in sua mappa. Ergo ex mente Ptolomæi Æmona sita fuit in finibus Pannoniæ superioris contermina Norico ab una parte, ab alia verò Alpibus Julijs, quas Japydes tunc insidebant, hinc per Albanum versus Orientem porrecti, inde ad Adriam pertinentes ut supra diximus : ergo Æmona vera non fuit in Istria, ne quidem in ejus finibus, multò minus in meditullio.

VII. Inspiciamus ulterius apud Ptolomæum descriptionem Istriæ, & videbimus, quod Ptolomæus nullam ibi agnoverit Æmonam, nullam Æmoniam. In descriptione Italiæ ad quam eo tempore spectabat Istria Ptolomæus hæc habet : *Istriae similiter post flexum intimi Hadriatici sinus Tergestum Colonia, Formionis fluminis ostia, Parentium, Pola, Nefattum. Arsia flumen finis Italæ.* Hæc maritima Istriæ ora. Subjungit Ptolomæus : *Civitates autem sunt mediterraneæ Histria quidem Pucinum, Piquentum, Alvum.* Supple ex Plinio quod Ptolomæus omisit inter maritima Ægida hodie Justinopolim, quām ideo fortè præteriit, quia habitabatur tunc à Romanis non ab Istris, unde Plinius : *Oppida Istriae : civium Romanorum Ægida, Parentium, Colonia Pola, quæ nunc Pietas Julia, quondam à Colchis condita, abest à Tergeste C. M. passuum, mox oppidum Nefattum, & nunc finis Italæ fluvius Arsia.* Prætermittit Plinius Pucinum, Piquentum, Alvum mediterranea. Ubi hic quæso unum verbum de Æmona, ve Æmonia? nempè vera Æmona erat Civitas Pannoniæ

Ptol.lib.3.
c. 1.

noniæ, non Istriæ. *Tergestum* adscribit Ptolomæus Istriæ; nolo disputare an benè an malè, quia non officit meo proposito; certè contra opinionem Plini miscent antiqua recentioribus, cum Plinius ad Formionem amnem constituat limitem Istriæ. *Parentium* extat hodie in Istria, *Pola* etiam nota est. *Nesactum* ut divinat Cluverius situm fuit ad ostium Ausiæ fluminis dextra ripa qua nunc Castelnuovo conspicitur, cuius & Livius meminit. Pucinum male in Istria collocat Ptolomæus, quia Plinius id inter Tergestum & Timavum melius reposuit, sed puto legendum Petinum vel Petinam, vel ut legit Ughellus Pitinum, qui ait: *Pitinum seu potius Pucinum* (contrarium deberet dicere) antiqua fuit Istriæ civitas mediterranea, nunc ad vicum reducta, ejuisque loco Pitinum novum decimo hinc millario exstrudum. Sequitur apud Ptolomæum Piquentum, quod hodieque nomen servat situm ad Quietum amnem. Denique *Alvum*, inter mediterranea loca Istriæ soli memoratur Ptolomæo, quod Plinio & alijs excidit. De hoc ita differit Cluverius: *Alvum autem per summum errorem post Nesactum posuit in tabula, quum nullum eo nomine hic fuerit oppidum, nisi quod post Arsiam stantem, Italæ finem, hodieque dicitur Aluona, quod & ipse cum alijs auditoribus extra Italiam Liburniæ adscripsit his verbis: Post Histriam Italæ regionem sequitur Liburnia Illyricæ regionis ora: Aluona, Flavona, Tarjatica &c.* Hæc Cluverius errare dicens Ptolomæum, cum ipse dupliciter erret. Nam errat primo dicendo quod Ptolomæus post Nesactum in tabula reposuerit Alvum, cum reposuerit post Piquentum, substituit ergo Cluverius vocem Nesactum voci Piquentum, ut patet legenti Ptolomæum.

Liv. lib.
41.

Ughell. Ital
Sac. To. 5.
fol. 450.

Cluver.
Ital. lib. I.
c. 21.

um. Errat deinde Cluverius, quod *Alvum* & *Aluonam* esse idem, affirmet, & à Ptolomæo bis nominari dicat idem oppidum ; semel in Italia, semel in Liburnia extra Italiam. Ego verò nequaquam hic puto errasse Ptolomæum, sed cæteris diligentiores fuisse cum posuit *Alvum* mediterraneum oppidum post Piquentum, idquè toto cœlo diversum ab Aluona Liburniæ, quod contra Cluverium ex ipso Cluverio probo. Describens enim Cluverius Istriam inter cœtera sic habet : *In Tabula Itineraria Istria Peninsulæ figura depicta conspicitur, cuius Isthmum recte quidem ab Oriente finit Arsia amnis ; at falso ab Occidente Parentium oppidum, à quo linea itineris ad Polam per mediterranea ducta millia passuum adscripta habet XXX. inter eam lineam & mare figura majoris ædificij apposita est, qualis aquis calidis passim in eadem tabula, & nonnunquam Prætorijs Romanis adpicta visitur : supra id ædificium vocabulum appositum est dubiâ equidem & ambigua Scripturâ. QUARTI : infra verò, vel potius à latere ejus, quod POLAM spectat, vocabulum SILVO. Illud fortè fuerit antiquum amnis nomen. QUÆTUS, qui vulgo nunc incolis dicitur QUIETO, medianam fermè Histriam secans : ad hujus dextram ripam IV. circiter millia passuum à mari vestigia conspiciuntur antiqui oppidi, quod Italæ Scriptores hoc nostro seculo per immanem errorem interpretati sunt HEMONAM Coloniæ, apud Nauportum amnem, quem volunt hodie esse QUIETUM, quum extra Italæ fines HEMONAM, nunc Labacum dici apud fluvium cognominem in Savum defluentem supra patuerit. Quapropter ejus oppidi nomen antiquum in Tabula, apud prædictam calidarum aquarum seu Prætorij Romani imaginem fuisse censeo SILVUM. Atquè hæc ferè sunt loca Histriæ antiquis*

quiis Authoribus memorata. Hactenus Cluverius : cui uti succenso, quod Ptolomæo *Alvum* cum Alvo-na confundere voluerit, ita grates habeo , quod è vetusta Tabula itineraria produxerit nomen oppidi ad fluvium Quietum in Istria, quod immanem illum errorem transferentium Æmonam in Istriam deteget, & dissipabit. Puto itaque Ptolomæo re-ctè post Piquentum locari *Alvum* inter Istriæ medi-terranea loca, idquè ipsum esse quod Recentiores aliqui Scriptores suspiciunt *Æmonam*, ipse verò Cluverius in sua Tabula *Silvum* legit. Cum enim ipse fateatur in Tabula sua non benè posse di-scerni , esseque dubiam & ambiguam scriptu-ram *Queti* , & haud dubiè amanuensis vitio cor-ruptam,nihil vetat suspicari etiam alterum voca-bulum aut corruptè scriptum, aut certè non bene lectum : & melius legendum esse *Alvum* pro *Sil-vum*, facile enim in antiquis characteribus & ob-soletis pro *A* litera vel scribi vel existimari potuit Syllaba *Si*. Unde ulterius conjecturam formo , quod illi qui primi Æmonam in Istriam una cum Nauperto transtulerunt è Pannonia, fortè scriptum legerint Alvo , sed malè vetustas literas discreve-rint, & putaverint legendum Aemo. Et si investi-gando postmodum in antiquis libris ejus mentio-nem, legerint Jasonem navigasse per Nauportum, condidisse Aemonam, Colchos cum insecuros con-didisse Polam ; formaverint proinde judicium er-roneum non procul Pola quærendum JasonisNauportum, & juxta Nauportum Æmonam , unde ex Alvo fecerunt Aemo, ex Aemo Æmonam. Hinc er-roris origo, qui nulli vetusto Scriptori potest attri-bui, sed seculo decimo vel undecimo æræ Christia-

næ illiterato & rudi, quo vixdum in Istria, Pannonia, Norico quæ prius turbata fuerunt, componi cœperant & positis armis pacis artes tractari; uti suo loco pluribus exponam. Et hæc sufficient de-prompta ex vetustissimis Geographis quorum tem-pore Æmona nostra fuit in maximo flore, ob id non tantum his nominata, sed ut mox videbimus etiam celebrata Historicis.

§. II.

Argumenta ex Antiquis Historicis.

I.

Post Geographos quorum munus est cuique loco suum assignare situm (unde primam in ejusmodi controversijs merentur fidem) proximum locum tenent Historici, qui licet non inquirant de industria Urbiū & Regionum situm, plerunque tamen ut fidem dictis concilient, & suum cuique tribuant, in Geographica extendunt calamum; aut saltem indicant ubinam hæc vel illa urbs cuius mentionem faciunt, inquirenda. Quare meritò post Geographorum testimonia adducemus etiam Historicorum veterum, qui Æmonæ meminerunt, ex quibus ostendemus Æmonam veterem nuspian alibi inquire debere, quam in antiquis ruinis Labacensis Urbis. Et primus quidem occurrit *Vellejus Paternulus*, qui scripsit initio Imperij Tiberij Cæsaris circa annum Christi 20. Hic ergo agens de Tiberij Cæsaris vivo adhuc Augusto expeditione suscepta in Marcomannos, in primis limitem inter Italiam & Pannoniam designat summas Alpes deinde Nau-

portum

tum in finibus Pannoniæ collocat, uti ex contextu
apparet. Depromamus ejus verba : *Nec securam in-*
crementi sui patiebatur esse Italianam (nempè Marobo-
vus Marcomannorum Dux) quippe cum à summis Al-
pium jugis, quæ finem Italæ terminant, initium ejus fi-
nium, bād multò plus ducentis millibus passuum abesset.
Hunc virum, & hanc regionem proximo anno di-versis
è partibus Tiberius Cæsar aggredi statuit. Et post pau-
ca : *Præpara verat jam hiberna Cæsar ad Danubium, &c.*
cum universa Pannonia, insolens longæ pacis bonis, &
adulta viribus Dalmatia, omnibus traxtus ejus gentibus in
societatem adductis, ex constituto arma corripuit, &c. Gen-
tium nationumque quæ rebella verant, omnis numerus am-
plius octingentis millibus explebat, &c. cuius immensæ
multitudinis parentis acerrimis ac peritissimis ducibus,
pars petere Italianam decreverat, juntlam sibi Nauporti ac
Tergestis confinio, pars in Macedoniam eruperat. Ecce
confinia Pannoniæ & Italæ Nauportum & Terge-
ste, hoc in finibus Italæ illud in finibus Pannoniæ,
inter quæ limes medius paulò ante fuit designatus
summa Alpium juga, quæ rectè inter Nauportum
& Tergesten ferè media sunt. Ergo Vellejus agno-
scit Nauportum in Pannonia. Et quia non procul
Nauporto Æmonam sitam fuisse concedunt ipsi
adversarij, qui eam transferunt in Istriam, sequi-
tur manifestè Æmonam sicuti Nauportum situm,
fuisse in Pannonia, non verò in Istria.

II. Alter vetustus Scriptor qui Nauporti me-
minit est Cornelius Tacitus, qui narrat, quomo-
do inter Legiones Pannonicas audita morte Au-
gusti, seditio intercesserit, ubi & meminit Legionis
XV. quām Æmonæ seu Labaci stativa habui-
se colligitur ex antiquis lapidibus Labaci repertis.

Tacit. lib.
I. Annal.

Ait ergo Tacitus : *Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit : nullis novis causis, nisi quod mutatus Princeps licentiam turbarum, & ex ci-vili bello spem præriorum ostendebat. Castris æstivis tres simul legiones habeantur, præsidente Junio Blæso, qui fine Augusti, & initijs Tiberij auditis ob justitiam aut gaudium intermisserat solita munia. Eo principio lascivi-re miles, discordare &c. Intereà manipuli ante cœptam se-ditionem Nauportum missi, ob itinera & pontes, & alios usus postquam turbatum in castris accipere, vexilla con-vellunt : direptisque proximis vicis, ipsoque Nauporto, quod municipij instar erat, retinentes centuriones irrisu & contumelijs, postremo verberibus insectantur, &c. Et post nonnulla : Quin ipse inter se legiones, octava & quin-tadecima ferrum parabant ? eum centurionem cognomento Sirpicum, illa morti deposcit, Quita decumani tuentur, ni miles Nonanus, preces & ad-versum aspernantia minas interjecisset. Tres hæ legiones nuncupabantur octa-va Augusta, nona Hispaniensis, quintadecima Apollinaris, ut est apud Parcirolum in Notitia Im-perij, quæ sub Augusto in Pannonia superiore sta-tiva habuerunt, translatæ postmodum in alias Pro-vincias, quarum & Dion. meminit, & quintadeci-mam translatam tradit in Cappadociam. Interim ex hoc contextu Taciti apparet Nauportum fuisse in Pannonia, consequenter etiam Æmonam Nau-porto vicinam, in eadem Pannonia, prout à Plinio & Ptolomæo locatur. Ad clariora digrediamur.*

Parcirol.
Not. Imp.
Orient. c.
35.
Dion. lib.
55.

III. Herodianus describens iter Maximini è Pannonia in Italiam, Æmonam sive ut ipse scribebat Hemonam proximè ad Alpium radices collo-cat, licet in eo fallatur, quod eam Italiæ adscribat, existimans fortè Italiae inclusas totas Alpes : si-tum

tum tamen Hemonæ à parte Meridionali vel Septentrionali Alpium agnovid, uti ex ejus narratio-
ne constare potest. Adducamus ipsa ejus verba :

Maximinus confecto itinere jam Italæ fines attingebat : ac sacrificato ad aras, quæ in finibus ipsis eræ sunt, pergebat iter facere. Et initio sequentis libri. Maximinus postquam ad Italæ fines per-venit, præmissis speculatoribus, qui explorarent, an ullæ in Alpium convallibus atquæ densissimis sylvis insidiæ delitescerent ; ipsi in planum deductis milibus, jubet armatorum acies quadrato agmine incedere, in longum porrectas potius, quam confertas : ut ab ijs quam plurimum campi occuparetur, cunctisque in medium coactis impedimentis, ipse cum suis stipatoribus veluti subsidio sequebatur. Et post nonnulla : Ubi autem totam planitatem servatis ritè ordinibus transmiserunt, ad primam Italæ urbem per ventum est, quæ Hemona ab incolis vocatur. Ea sita est in extrema planicie ad Alpium radices. Hic speculatores atquæ exploratores exercitus narrant Maximino, vacuam relictam urbem, aufugisse omnes incolas : templorum etiam ac domorum januis incendio consumptis, atquæ omnibus quæ vel in urbe vel in agris fuerant exportatis, &c. Milites indignè tulerunt, quod ab initio statim fame laborarent. Cumquæ noctem exegissent, partim intra patentes communesque omnibus domos, partim in planicie ipsa, statim sole oriente ad Alpes accesserunt. Hi sunt longissimi quidam montes vice murorum Italæ circumdati, adeò in altum editi, ut etiam nubes superare videantur, itaque in longum porrecti, ut universam Italiam comprehendant, &c. scopulorum asperitate vix pervij, nonnullis tamen quasi semitis magno veterum Italorum labore manufactis. Quapropter ingens transiturum illac exercitum formido tenebat, metuentem summa juga teneri jam ab hoste, nullo: quæ non obstructos exitus ad se prohibendos. Neque

is metus de nihilo erat, locorum naturam contemplantibus. Posteaquam vero sine ullo impedimento superatis Alpibus in castra descenderant, laeti scilicet omnes instauratis animis vitulabantur, nihilque non sibi ex sententia cessurum Maximinus arbitrabatur, ne locorum quidem difficultati fidentibus Italos, intra quos latitare ipsi, & saluti sue consulere, prætereaque insidiari hostibus ac locis supernè imminentibus pugnam capessere potuissent. Ex hac narratione colligitur quod Herodianus falso existimavit Hemonam esse Italæ Urbem, vel certè voluerit scribere non simpliciter primam Italæ urbem, sed primam Italæ conterminam urbem cum postea insinuet Italos trans Alpes habitasse, & dicat non restisse in Alpibus cum possent. Imo cum dicat quod Alpes instar murorum Italianam circumdcent, insinuat ante Alpes non esse Italianam, si ergo Aemonam locat ante Alpes excludit eam hoc ipso ab Italia. Coeterum uti Ptolomæus Histriæ adscripsit Tergestum, quod limites Histriæ attingebat, sic Herodianus Hemonam quia sub radicibus Alpium sita erat quæ fuerunt limes Italæ, adscripsit Italæ. Situm nihilominus ejus designavit ante Alpium transitum, & talis situs est Labaci: à quo si per sylvam Labacensem terrestri itinere proficiscaris illi- cò accedes Carvancam montem sive Oram qui est Straboni humillima pars Alpium. Porro iter, quo Maximinus Sirmio ubi morabatur Hemonam pervenit, non fuerit aliud, quam quod usurpatum Romanis Antoninus descripsit in suo Itinerario, & libet hic apponere, ut clarius constet veram Aemonam stetisse ubi nunc Labacum est. Describit ergo Antoninus iter ab Hemonia Sirmium, (quod viceversa Sirmio Hemoniam relegere poteris) hoc modo.

Hemo-

<i>Hemonia</i>	Labacum ut ego interpretor.
<i>Prætorio Latovicorum</i>	M. p. xxxiv. Rudera infra Rudolphswertum.
<i>Novioduno</i> M. p. xxxj. in alijs est. xxvj. Gurkfeldum vel Rain.	
<i>Quadratum</i> . M. p. xxvij.	Zagrabia vel propè.
<i>Siscia</i> . M. p. xxvij.	Sissegk certò.
<i>Varianis</i> . M. p. xxij. Varasdinum Lazio sed fallitur.	
<i>Menneianis</i> . M. p. xxvj.	
<i>Incero</i> . M. p. xxvij.	
<i>Pecentino</i> . M. p. xxv.	
<i>Leucono</i> . M. p. xxvj.	
<i>Cirtissa</i> . M. p. xv.	
<i>Civalis</i> . M. p. xxij.	
<i>Ulmos</i> . M. p. xxxij.	
<i>Sirmi</i> . M. p. xxvj.	Schirms hodie in Turcia.

In his saltem certum est Sisciam eo loci fuisse ubi modo Sissegkum, quia & nomen servat, & sive subducas rationem itineris Aquileja Sisciam, sive Aemona Sisciam deprehendes utrobique distantiam qualis hodie est inter Aquilejam aut Labacum & Sissegkum. Ergo Maximinus proficiendo Sirmio in Italiam ad nullam aliam Aemona venit, quam cujus rudera monstrari possunt Labaci, & quæ Siscia distat CXXI. millibus passuum.

I V. Accedat quartus vetustus historicus Julius Capitolinus, qui describens iter ejusdem jam memorati Maximini ex Pannonia in Italiam Aquilejam, licet inverso ordine narrat. Acrior denique Italiam ingressus est: ubi cum comperisset Maximum contra se missum, vehementius se viens quadrato agmine Hemonam venit. Sed Provincium omnium hoc consilium fuit,

*Jul. Capit.
in Maxi-
min. c. 21.*

fuit, ut sublatis omnibus quæ victum præbere possent, intra ci-vitates se reciperent, ut Maximinus cum exercitu fame urgeretur. Denique ubi primum castra in campo posuit, neque quidam commeatus in-veniret, incensus contra eum exercitus suus, quod fame in Italia laborasset, in qua post Alpes recreari se posse credebat, murmurare primum cœpit, deinde etiam aliqua liberè dicere, &c. Plerique sani dicunt ipsam Hemonam vacuam & desertam inventam esse, Maximino stulte letante, quod quasi ci-vitas tota cessisset. Post hoc Aquilejam venit, quæ contra eum armatis circa muros dispositis portas clausit, &c. Ponte itaque è cuppis facto Maximinus flu-vium transivit, & de proximo Aquilejam obsidere cœpit. Vides turbatum narrationis ordinem, cum dicit: *Italiam ingressus est*, & subdit: *Quadrato agmine Hemonam venit*. Cum hoc præmittere debuisset, sed nihil novi apud Capitolinum. Nam poste à rursum ait: *Aquilejam venit*, ac deinde subdit. *Fluvium transivit*, intellige Sontium, qui XIV. millia passuum ab Aquileja distabat, uti in eadem narratione adstruit Herodianus, licet pro XIV. ponat XVI. transpositis litteris cum Itinerarium Antonini seu Tabula solum XIV. m. p. numeret. Quid ergo mirum, quod Æmonam in Italia videatur locare. Quanquam esto illam collocaret in Italia, dicendus est vel errasse, vel certe id temporis Æmonam Italiæ auctæ adnumeratam, quin & intermedium Japydiam, quæ jam Romanum jugum plenè admiserat. Firmo hanc opinionem ex eo, quia tempore quo Capitolin' scribebat, erat Imperium Romanum immutatum: Japydia adscribebatur Italiæ quod Plinius, & Ptolomæus, videntur insinuare. Imò jam tunc Pannonia sub Diocletiano aliter divisa fuit, nempe in Valeriam & Savium,

Saviam, quarum Valeria à Danubio ad Dravum, Savia à Dravo ad Savum protendebatur, unde videtur id quod à parte Meridionali Savi erat circa Æmonam attributum Italiæ, abolito jam nomine Japydum, de quibus nulla amplius memoria apud authores hujus ætatis. Certè partem Pannoniæ Superioris appellavit Valeriam Diocletianus sub quo vixit Julius Capitolinus, unde verosimile jam Æmonam ut proximam Julijs Alpibus Italiæ fuisse adnumeratam. Hæc pro benigna Capitolini ab errore excusatione. Cœterū ut ille erraverit Italiæ adnumerando Æmonam, non erravit, inter Italiam & Pannoniam eam collocando. Sive igitur ejus ætate Italiæ sive Pannoniæ civitas fuerit, procul adhuc abfuit ab Aquileja, procul ab Istria, & ante Alpes non post Alpes. Nequè illa Capitolini verba indicant eum voluisse Hemonam inter Alpes & Aquilejam reponere, quod dicat, murmurasse exercitum *quod fame in Italia laborasset, in qua post Alpes recreari se posse credebat*. Bis enim passus est exercitus famem, ad Hemonam primum, ante Alpes, deinde iterum post Alpes ad Sontium. Propterea absoluto primo sensu pergit narrare. Denique ubi primum castra in campo posuit, nequè quidquam commeatus inveniret, intelligendum est post transitum Alpium, uti clarius id expressit Herodianus, qui bis ante Hemonam, & ante Aquilejam exercitum fame laborasse notavit: uti præterea adverto Herodianum non sine peculiari vocum emphasi posuisse: *fine ullo impedimento superatis Alpibus in castra defecenderunt*. Ad quæ castra? hostiumne, an sociorum? certè nec hostes illic erant, nec Maximini exercitus ibi castra adhuc habuit, quo primò defen-

descendit. Sensus igitur genuinus est, quem Capitolinus non bene observavit, licet phrasim antecedentium Historicorum & fortè Herodiani secutus sit, quod superatis Alpibus descendenter exercitus Maximini ad locum vocatum *Castra*. Sic enim legitur in Itinerario Hierosolymitano. Ego inter-

(pretor

Aquileja

Ad undecimum M. p. xij.

Ad Fornolus M. p. xij.

Sanpass.

Castra M. p. xij.

Prart vel Podcrai.

Ad Pirum summas Alpes M. p. jx.

Alben.

Longatico. M. p. x.

Logatez.

Ad Nonum. M. p. jx.

Billichgrätz

Emona. M. p. jx.

Labacum.

Hemona igitur hac progressus Maximinus terrestri itinere, descendit ad *Castra* locum sic prius appellatum, & ibi iterum famem passus progressusque octo millibus passuum ultra Fornolus, quod fuerit circa Sanpass, pervenit ad Sontium à quo Aquilejam usque restabant XIV. millia passuum, ubi navalem pontē stravit, uti ex Herodiano liquet, qui expressè de his castris loquens, non dicit castra posuit, sed in castra descenderunt, id est ad locum, qui vocabatur *Castra*, qui natura talis est, ut superatis Alpibus ad illum descendere oporteat, uti noverunt periti locorum, & ego experientia didici.

V. Quintus ex antiquis Historicis nostro instituto deserviens est Socrates cui suppetias ferent alij. Vixit hic circa Annum Christi 440. & recentuit expeditionem Theodosi Imperatoris adversus Eugenium Tyrañum, & Arbogastum, quos vicit miraculose ad Fluvium Frigidum, quem non alium fuisse

fuisse quam Vipacum (aut Chobelum) in agro Vipacensi constans est authorum sententia, & convincunt Itineraria antiqua. Proferamus verba Socratis: *Kelictis ergo Theodosius ambobus filijs in urbe Constantinopoli, cum proficeretur contra Eugenium bellatus, plurimi trans Histrum barbari sunt sequuti, cum eo pugnaturi contra Tyrannum: parvoque tempore cum manu maxima venit ad Gallias. Illic enim parabat bellum, ubi jam multa millia habebat exercitus. Fit ergo congressio circa fluvium vocabulo Frigidum,* &c. Imperator prostravit ipsum in terram adjutorem invocans Deum; & petitione frustratus non est. Bacurius Magister militum ejus dirupit acies, & in fugam mox vertit inimicos; fitque denuo ea hora miraculum. Ventus enim vehementissimus inspirans emissa jacula ab Eugenij partibus contra eos denuo revocabat, & à partibus Imperatoris ad hostes cum magna fortitudine deferebat. Tantum valuit Imperatoris oratio, &c. Eadem referunt, sed paulo alijs verbis quinque alij testes, Orosius, Freculphus, Paulus Diaconus, Sozomenus, Nicephorus Callistus, alijs. Placet addere verba Freculphi: *Theodosius insummis Alpibus constitutus & expers cibi ac somni, corpore humi fatus, coelo fixus orabat.* Et Pauli Diaconi: *Eugenius igitur atque Arbogastes, quum omni instructa acie Alpium transitus tenerent, & Theodosius insummis Alpibus constitutus esset,* &c. Ne vero credas hoc alijs in Alpibus gestum esse, quam in nostris Alpibus Julii, quae sunt portæ Italiae, suppetias fert Sozomenus ubi ait: *Atque Eugenius equidem maximum paravit exercitum & Italæ portas, quas Romani Julias Alpes vocant præoccupatas præsidio tenuit.* Quid hoc ad Æmonam dices? multum sanè, quia ex Oriente profectus Theodosius ad Alpes Julias per ipsam Æmonam

Socrat. in
Hist. Tri-
part. c. 45.

Orosius lib.
7. c. 35.
Freculph.
Tom. 2.
lib. 4 c. 25.
Paul. Diac.
Miscell.
lib. 13.
Sozomen.
cit. sup.
Niceph. lib.
12. c. 38.

Pacat. in
Paneg.
Theodos.

nam iter fecit, teste Pacato Oratore, qui Panegyricum dixit Theodosio, in quo præter alia habet : *An ergo sine di-vino Numine factum putem, ut qui sub nomine pacis ludere, & primi sceleris pœnas lucrari quiescendo potuisset, secundum tertiumque vexillum latrocinij civilis attolleret, & superatis Alpibus Cotijs, Julia quoque clausa laxaret.* Et post pauca addit : *Nec pia Hemona cunctantius ubi te adfore nuntiatum, impulsis effusa portis ob-viam provolavit.* Certè Theodosi iter ad Alpes Iuliae è Pannonia aut per Pannoniam aliud esse non potuit nisi per tritissimam viam quæ Labacum, & inde ad Alpes dicit, aut per ambagem & circumut Liburniæ, quæ non est via properantis hosti occurrere, minimè verò per Histriam : ergò ubi modo Labacum est ibi sunt rudera antiquæ Æmonæ.

VI. Undecimus vetustus Scriptor veritati assertæ firmandæ deserviens est iterum Sozomenus ubi de condita Æmona differit, cujus verba retuli Cap. I. §. I. eique se associat ibidem allegatus duodecimus vetustus scriptor Zosimus, qui ambo Æmonam agnoverunt in fine Pannoniæ superioris sub Norico & Alpibus, à Jasone conditam ad Nauportum fluvium, qui alias esse non potest quam Labacus in Savum se exonerans, & navigiorum ultrò citroquè patiens, uti experientia etiam hodie testatur. Atque hic sufficient pro secunda Probatione assumptæ Theseos, quod vera Æmona à Jasone condita & celebrata antiquis scriptoribus non sit alibi quærenda, quam in ruderibus Labacensis Urbis antiquæ.

§. III.

Argumenta ex antiquis Itinerarijs.

I.

MAgno Reipub. literariæ bono superiore seculo ex vetustis Bibliothecis eruta sunt complura Itineraria antiqua sub nomine Antonini, quæ putata sunt fuisse Antonini Imperatoris Philosophi, sed Juniores arguunt tam Latinitas, quam nomina urbium, ut supra insinuatum, crediturque saltem unus eorum Author Æthicus Antoninus Hister, quem circa annum Christi 440 vixisse arbitror, alioqui Hemonæ per Attillam Anno 452. vel circa id tempus vastatæ non meminisset, uti nec Aquilejæ & aliarum urbium. Quas si dicas restauratas, formam tamen Imperij Romani circa ea tempora mutantem fateberis, ut Itinerarijs ejusmodi opus non esset. Ut ut se res habeat ante Annum Christi 630. scripsit hic Antoninus, & magnum Historiæ antiquæ lumen posteritati subministravit. Ego olim exemplar (quantum memini) Lugdunense cum notis cuiusdam Recentioris legi, dum hæc scribo unicum nactus sum Venetum, sed mirè depravatum, & non tam Amanuensis quam Typographi incuria vitiatum. - Ex cæteris fragmenta reperi apud probos authores, quæ pariter bonâ fide, uti reperi, allegabo.

II. Primum ergo sit quod licet depravatum & multis Typographicis scatens mendis Venetijs impressum est Anno 1518. in ædibus Aldi & Andreæ soceri. In eo fol. 143. ponit.

ITEM AB URBE.

Mediolano M. p. DXXVIII.

Inde Aquileja M. p. CCLXX.

Inde Sermio. M. p. CCCCI.

Inde Nicomedia. M. p. DCCCXV.

Inde Antiochia. M. p. DCLXXXII. &c.

Quæ summarie posita deinceps specialibus titulis prosequitur, designando Antiochiam usque diversa itinera. Primum ab Urbe Ariminum, Armino Aquilejam recto itinere. Item Arimino Aquilejam alio itinere, deinde ulterius uno tractu usque Nicomediam, ac demum Antiochiam, ut proinde interruptio itineris Aquileja Sirmium majusculo titulo non denotet aliam regionem, sed ex eadem regione novum iter continuatum. Ibi ergo sic habet,

Concordia civitas

Aquileja civitas. M. p. xxxij.

FLUVIO

Frigido. M. p. xxxvj.

Longatico mansio. M. p. xxij.

Logatež

Hennomacium. M. p. xvij.

Labacum.

Adrante mansio. M. p. xxv.

Dranberg

Caleja civitas. M. p. xxiv.

Celeja

Ragundone. M. p. xvij.

Ragatez

Patavione civitas. M. p. xvij.

Petau.

Aqua vivua. M. p. xx.

Hæc quidem itineris designatio videtur bona. Nam primo inter Aquilejam & *Flu-vium Frigidum* (conjunctim enim debent legi hæc duæ voces) rectè sunt M. p. xxxvj. Ut in alijs etiam exemplaribus quæ conficiunt nostratia milliaria Germanica cir-

citer

citer novem , & tanta est distantia defacto inter A-
quilejam & Vipacum Carnioliae interioris, ubi Flu-
vium Frigidum agnoscant viri docti , & ad quem
paulò ante à Theodosio pugnatum contra Euge-
nium & Maximum ostendimus : cœteræ etiam
distantiæ optimè conveniunt , sed erratum est in
Orthographia. Ubi enim ponitur *Hennomacium* ,
ibi alia itineraria habent *Hemonam* , & *Emonam* , & ali-
qua etiam corruptè *Hennoma*, uti advertit Ortelius.
Ante centum annos Wolfgangus Lazius in suo ex-
emplari legit *Hemonam*. Sic enim ait : *Itinerarium*
à *Mediolano* viam subducens *Sirmium usque per loca Fo-*
rojulij (ut reliqua Italie transeam) Concordiam, Aqui-
lejam, fluvium Frigidum, Longaticum mansionem, Hæ-
monam, Adrantem, Calejam, Ragandonem, & Pœtovio-
nem enumerat. Quamvis idem Lazius postea scri-
bat modo Æmonam, modo Hemonam. Quare ve-
reor ut hoc loco, sicuti in pluribus alijs in præfato
Veneto exemplari mendum irrepserit : sicuti & in
voce *Caleja*, quam in alijs legere licet *Celeja*, uti &
Patovione, rectius legitur *Pœtovione*, secuti postea
idem exemplar Venetum habet fol. 169. sed quod
pro *Hennomacium* legi debeat *Hemonam* vel *He-*
monia, colligitur ex eodemmet exemplari Veneto,
folio citato 169. ubi hæc habentur.

Ortel. in
Synon.
Laz. Com-
ment. Reip.
Rom. lib.
12. sed. 5-
c. 3. fol.
1188.

ITEM AB HEMONIA

Per Sisciam Sirmi usque M. p. CCCXI. Sic.

Prætorio Latovicorum. M. p. xxxiv.

Novioduno. M. p. xxxj.

Quadrata. M. p. xxvij.

Siscia. M. p. xxvij.

Hic

Hic ab Æmonia numerantur usque Sisciam millia passuum CXXI. id est millaria Germanica si quatuor millia passuum pro uno Germanico millari computes, XXX. & quadrans : & totidem hodie plus minus computamus, Sisseghum usque Labaco. unde habemus in eodem exemplari Antoninum correctum ab Antonino, eandemque Urbem positam semel errore Librarij *Hennomacium*, & altera vice *Hemoniam* : neque jam ex locorum situ colligi posse, quam nostram Æmonam Pannoniae. Hæc de uno Itinerario. Restant alia.

III. Tabulæ apud Peütingerum & Cluverium distinctius & copiosioribus locorum nominibus iter Aquileja Æmonam adornant, & sic habent.

<i>Aquileja.</i>	<i>Aquileja</i>
<i>Ponte Sonti.</i> M. p. xiv.	Lisontzo
<i>Fluvio Frigido.</i>	Vipacum
<i>In Alpe Julia.</i> M. p. xv.	Alben
<i>Longatico.</i> M. p. v.	Logatez
<i>Nauperto.</i> M. p. vij.	Oberlaybach
<i>Emona.</i> M. p. xij.	Labacum
<i>Savo fluvio.</i> M. p. viiij.	Savus Fluvius.

Quæ si revoces ad Germanica millaria conficient XV. Sed addendus est numerus, qui deest à Ponte Sontio ad fluvium Frigidum XXII. M. p. quæ sunt Germanica V. cum dimidio : hæc addita prioribus erunt circiter XX. millaria Germanica ab Aquileja ad Savum fluvium, & totidem vero similiter hodie computamus. Sed et si plus vel minus esset, cum nesciamus, quam olim Romani viam tenuerint, nihil contra nos faceret. Nam Aquileja Vipacum sunt plures viæ, Labaco ad Savum trajectum etiam diversæ ; id tamen evidens habemus

bemus *Ponte Sonti*: non esse alium locum nisi tractum *Sontij* vel *Lisontij* fluminis, *Alpem Julianam* esse illam partem *Ocræ* montis quæ etiamnum *Alben* dicitur: *Longaticum* non esse aliud, quam quod adhuc nomen servat *Logatez*, à quo *Hyperlabacum* paulò plus quam milliare Germanicum computatur ubi proxime est origo *Labaci* fluvij, proinde ibi est *Nauportus*; à quo *Labacum* sunt tria millaria, ergo *Emona* est *Labacum*, unde iterum ad *Savum* sunt unum & dimidium, vel etiam duo pro diversitate trajeccus. Cum hoc itinerario in supputatione itineris per aliam viam & alia intermedia coincidit Itinerarium Hierosolymitanum, quod ita repræsentat Cluverius,

<i>Aquileja</i>	hodie Aquileja
<i>Ad undecimum M. p. xj.</i>	Undecimo
<i>Ad Fornolus M. p. xij.</i>	Sanpass.
<i>Castra M. p. xij.</i>	Prart vel Podcrai
<i>Ad Pirum summas Alpes M. p. jx.</i>	Alben.
<i>Longatico M. p. x.</i>	Logatez.
<i>Ad Nonum M. p. jx.</i>	Billichgrätz
<i>Emona M. p. jx.</i>	Labacum.

Cluver. cit
lib. i. c. 20.

Quæ superius §. II. N. IV. interpretatus sum: & planè dimensio hodierni itineris per illa loca correspondet. Quis igitur sanæ mentis tot evidentiis argumentis visis dubitabit *Æmonam* antiquam ibi sitam fuisse, ubi nunc *Labacum Carnioliae Metropolis* antiquis ruinis parte superaedificata: dixi ex parte, quia potior antiquæ *Æmonæ* pars adhuc in ruderibus sepulta jacet, super quibus aratur, seritur, horti coluntur, &c. Ubi plurima in hodiernum diem antiquitatis monumenta eruuntur, & supersunt vestigia magnifarum ædifici.

um. In horto parentis mei ante annos viginti quinque erutus fuit lapis quadratus cum Inscriptione. *Neptuno Aug. Sac. &c.* pavimentum Mo-saici operis, &c. & alibi plura similia. Hic ergò si nulla alia suppeterent argumenta, vel ex Itinerarijs modo adductis tam manifestè probatur Æmonam à Jasone conditam, & vetustis Scriptoribus celebratam, neque uspiam alibi quærendam esse. Nihilominus etiam reliqua, quæ in hanc thesim faciunt producamus.

§. IV.

Argumenta ex Antiquis Inscriptionibus.

I.

Non sum nescius antiquos lapides reperitos in aliquo loco solum probare eo loci aliquando habitasse, aut moratos esse Romanos, quorum hæc erat consuetudo lapides cum Inscriptionibus duraturæ apud posteros memoriæ relinquere. Neque ex ipsis inscriptionibus aut certorum expressione nominum infallibile est argumentum, locum cuius nomen exprimitur illum ipsum esse in quo lapis ejusmodi reperitur. Nihilominus ubi aliunde constat de loco, si præterea in lapide antiquo ejus reperiatur memoria, maximam vim habent ad firmandam veritatem antiquorum lapidum inscriptiones. Tales profectò lapides & olim reperti sunt, & nunc reperiuntur Labaci, qui nomen Æmonæ clarè exprimunt. Atque ut ordinar ab eo, quem ego primus hactenus observavi, licet omnium oculis integro seculo expositus fuerit, & utinam expositus meliore

meliore loco. Immuratus est is majori portæ Teutonicæ , qua extra civitatem ad hortos & rudera veteris Æmonæ exitur in sinistra parte anterioris portæ duobus à terra pedibus elevatus , unde à transeuntium currvum rotis magna pars inscriptionis ejus extrita jam est , ut integrè legi non possit. Fortuna tamen ejus hæc fuit, quod hactenus integrum nomen Æmoniæ servaverit. Exscribo quod integrum adhuc est,

V A R I O T I
P. N A R B O N.
V E T. L E G. X V.
- - - V E N I X
P. E M O N I Æ.

Sensus videtur esse *Vario Tiberio Præfidi Narbonensi vel Provinciæ Narbonensis, &c. Venix posuit Emoniæ.* Lapis hic vel erutus è terra , vel ex ruderibus Armamentarij Archiducalis protractus est Labaci Anno 1525. cum Armamentarium incendio absumptum, & penitus disiectum fuit, & eo loci nova urbis porta, quam Teutonicam dicimus exstructa est. Unde miror , quòd Lazius paucis post annis Labaci perquirens antiquitates eum non observaverit, omnium transeuntium per illam portam oculis expositum.

II. Altera inscriptio extat in pariete Ecclesiæ B. Virginis Ordinis Teutonici , quam ego ipse legi & descripsi correctius, quam Lazius, qui eam

promit in comment. Reip. Romanæ. Sic igitur
habet.

M. TITIO. M. F. CL. TI.
BARBIO TITIANO DE-
CURIONI EMONE. T.
LEG. II. ADIUTRIC. ITEM.
LEG. X. FRETENS. HA-
STAT O IN COH: LEG. II.
TRAIAN. EX CONICULAR.
PR. PRO. LARCIA VERA
FILIO. PISSIMO. L. D. D.D

Pet. Apian.
& Barthol.
Amant.
Syntagm.
Antiq. In-
script.
Janus Gru-
ter. Magn
Syntagm.
Laz. cit.
Lambec.
Bibl. lib.
2.c. 8. fol.
681.

Petrus Apianus, Bartholomæus Amantius, Janus Gruterus, & Lazius, ac post Petrus Lambecius habent cum diptongo *Æmonæ*. Sed in lapide simpliciter EMONE. legitur. Item apud illos est EX CORNICULAR. At in lapide unum continuum vocabulum, prout etiam Lazius scripsit. Item in lapide est PR. PRO. Coeteri habent PR. PR. Verum de his & de interpretatione non sum sollicitus: lapicidæ saepius errant: interim nomen *Æmonæ* seu Emonæ, satis insinuat Labaci fuisse veterem *Æmonam*, uti benè observant Carolus Stephanus, Ortelius & alij infra allegandi.

III. Tertia inscriptio extabat etiam in comenda Teutonica Labaci ante centum annos, quam descripsit Lazius. Recentibus annis per fordidam avaritiam illiteratorum lapis ille in alium usum

usum absumptus est, uti mihi domestici narrarunt
cum inquirerem de illo. apud Lazio ita legitur,

ENNIO SECCONIS F.
VIVUS F. CETETIUM
RUSTICO. F. Θ. N. L.
ET FIL. VALENTIONI.
Θ. AN. XXXV. EISECU
SECCO EMONS Y
Θ. AN. LI. EMON. Y.

Cætera legi nequiventur.

Ecce iterum bis *Æmonæ* nomen in eodem lapide; atque adeo triplex Labaci ante annos centum extabat Inscriptio, in qua nomen *Æmonæ* legebatur. Plures aliæ sunt in vicinia Iggij scilicet, ubi *Magnum vicum* (à Lazio quæ situm Hyperlabaci) ego fuisse existimo, quod vel nomen indicare videntur, cum nempè Germani succedentes Romanis vicum difficulter enuntiarent, cœperint primo nominare *Vic*, dein, *Ic*, & modo *Igg*. In hoc ergo vico extant hodieque multæ antiquæ Inscriptiones, quarum duæ *Æmonam* enuntiare videntur; earum fragmenta exhibeo. Una est.

D. M.
VENIX. EM.
PEONIS. F. &c.

Altera vero legitur.

ANTONIUS

**ODECO --- MONS F.
ENNÆ --- VOIAPUS F. &c.**

Cœteras antiquas lapidum Inscriptiones hic prætereo, cum ad propositum non faciant. Satis fuerit has adduxisse ad firmanda superiora argumen-ta, quibus probatum est Labaci sitam fuisse veterem Æmonam. Quæ certè jam olim fuit majorum nostrorum indubitata opinio. Unde extat ad-huc sepulchralis lapis in Ecclesia Teutonica licet recentior, qui testatur Labacenses jam olim agno-visse in ruderibus veteris suæ urbis Æmonam, quantumcunque Lazi & aliqui alij parùm con-sideratè secus sentirent, Fragmen illius hic appono.

**P A M P H I L O FR U M E N T I N O .
L E O N A R D U M . F I L I U M , P R U S -
S I E N S I S M I L I T I Æ E Q U I T E M ,
I N V I S E N D I G R A T I A H U C
P R O F E C T O , M O R T E Q U E H I C
E M O N E P R A E V E N T O . I D E M
P I I S S . F I L . M O N U M F . C .
A N . M . D . L X V I I I .**

Ecce ante centum annos Labacensibus velut cer-tum persuasum fuit veteris Æmonæ gloriam non alteri, quam Labacensi urbi deberi, eamque esse veram Æmonam. Sed nequid prætermissee vi-dear, & solus pro patriotis sententiam ferre, libet etiam alios scriptores recentiores adducere, qui

col-

collatis antiquorum testimonij, ponderatis varijs circumstantijs recte senserunt veram Æmonam, alibi non esse quærendam, quam in ruderibus antiquæ Urbis Labacensis.

§. V.

Argumenta ex sensu Recentiorum
Scriptorum.

I.

Primus occurrit Abrahamus Ortelius, accuratissimus scrutator antiquitatis, qui in synonymis suis Geographicis de Æmona nostra sic sentit. **ÆMONIA,** *Histriæ maritimam urbem, & hodie Citta Nova vocatam, scribunt Leander, Volaterranus, & Marius Niger.* Ego vero quis veterum hujus **ÆMONIÆ** in *Histria* regione ad mare sitæ meminerit, planè ignoro. Plinius habet Æmonam Pannoniae oppidum, & **ÆMONIAM** quoque in Noricis, quod Julius Capitolinus **HEMONAM** vocat. Ptolomæus **EMONAM** urbem statuit inter *Italianam* & *Noricum*, quam eandem esse puto cum **ÆMONIA** Plinij. Sic etiam legendum erit apud Antoninum (quo loco *Hennoma*) *Hemonia* & *Hennonia* male habetur) Hancque Moletius Clemonam dicit vocari. At cum Simlero potius credam Carniolie caput esse, quod hodie Laybach dicitur : & vulgus Latinum **LUBIANAM** nominant. In ea enim urbe extat vetus Romana inscriptio, in qua **ÆMONIÆ** fit mentio. Hactenus Ortelius non solum veritatem adstruens, sed etiam factores refutans, verè enim dicit : *Quis veterum hujus Æmoniæ in Histriæ regione ad mare sitæ meminerit planè ignoro.* Et ignorant cum ipso

Ortel. Sy-
non Geogr.
lib. A.

ipso omnes docti & accurati scrutatores antiquitatis ; cœteri qui secus sentiunt cœci cœcos duces secuti innocenter peccarunt. Addit deinde testimonium Simleri, qui proinde nobis.

II. Fidejussor secundus est Josias Simlerus vir magnæ superiore seculo eruditionis & Historiarum scriptor insignis, quem nunc ad manum non habeo, sed satis sit illum ab Ortelio allegatum hoc loco nominare.

III. Fidejussor tertius Joannes Aventinus Boicorum Annalium Scriptor, qui agens de Maximi profectione in Italiam, hæc habet : *Maximus que ad bellum spectabant comparavit, ut paratus Maximino occurreret: qui jam fines Italæ attigerat, & Hæmonam coloniam Pannoniæ extremam, Italæ primam, vacuam cultoribus patentibus portis intrarat, ubi edificijs incensis Aquilejam, que inde sex & septuaginta millibus passuum aberat, quadrato agmine progreditur, &c. quibus verbis cum exprimat distantiam inter Hæmonam & Aquilejam ab Antonino expressam in exemplari Veneto (de quo supra) satis innuit se non alibi locare Hæmonam quam ubi Labacum modo est, licet per errorem (volens forte concilire diversos authores) dicat Hæmonam Pannoniæ extremam, Italæ primam, quod esse non potest, quia nulla civitas simul & semel duabus distinctis Provincijs attribui potest. Sed forte sensus est, quod Hæmona sit postrema Pannoniæ ad Pannoniam spectans, & prima quæ Italiam attingit, quod verum est de Labaco, nulla enim alia civitas Foro Iulio vicinior est, nequè ulla alia in Pannonia veteri fuit magis postrema Meridiem versus & Occasum.*

IV. Quartus fidejussor est Wolfgangus Lazius,

*Jo. Aven-
tin. Annal.
Boio. lib.
mibi fol.
422,*

zius, qui licet Hæmonam Iggij (quod duobus Labaco miliaribus distat) non verò Labaci collocet , quia distantiam locorum ab Antonino designatam non observavit , ex eo tamen huic opinioni favet quod Nauportum fluvium agnoscat eundem cum Labaco, nec inde procul veterem Æmonam inquirat. Verba ejus sunt. *Hemonæ situm nemo melius quam Plinius depingit lib. 3. c. 18. cum de Jasone & Argonautis loquitur : quoniam Argo navis flumine in mare Adriaticum descendit , nec procul Tergeste , nec jam constat quo flumine. Humeris travectam Alpes diligentiores tradunt. Subiisse autem Istro , dein Sao, dein Nauporto cui nomen ex ea causa est, inter Æmonam Alpesque exorienti. Porro Nauportum Labacum nostrum fluvium esse , proximo est capite confirmatum. Hic verò quatuor milliarium intervallo à Labaco civitate oritur, haud procul ab eo oppidulo, quod hodie superius Labacum dicunt. In cuius medio itineris , ut describit nimirum Plinius , inter Labacum fluvium & Alpes Lugei locus visitur innumeris Romanis inscriptionibus, alijsque vetustatis exemplis celeberrimus , quem Iggium incole vocant, cuius situs Hemone veteri ex diametro quadrat. Meminit is quoque Emonæ inter Norici municipia , enumerans illam c. 24. ejusdem libri. &c. Sic & Ptolomæus lib. 2. c. 15. postquam superioris Pannonias municipia recensisset sub Norico in extremo Pannonie Æmonam depingit, adjecta meridionali graduum 45. elevaticne. Ex quibus saltem habetur, non procul Labaco inquirenda vestigia veteris Æmonæ. Et nisi Lazius rerum, quas tractabat, mole turbatus, nimium properanter calatum in hæc strinxisset , forte in ipsa Labacensi Urbe designasset Æmonæ rudera. Malè Plinij verba accepit, cum putavit ab eo dictum Æmonam fuisse medium inter Nauportum*

Laz-Com-
ment. Reip.
Rom. lib.
12. Sect 5.
c. 7

tum & Alpes. Non dixit hoc Plinius , sed Naupor-tum fluvium inter Æmonam & Alpes exoriri, quod verissimum est nam Labacus fluvius , qui est verus Nauportus oritur haud procul Verchnikio quod est *superius Labacum* , à cujus fonte si ad Se-ptentrionem te vertas videbis Labacum tribus inde vel (ut alij supputant) quatuor milliaribus di-stantem urbem, si ad Meridiem respicias duarum horarum spatio attinges Alpes, quæ omnibus sunt in confessu qui per hæc loca iter faciunt , idque ego non semel emensus sum.

V. Quintus fidejussor est Hieronymus Megi-ferus Historiographus olim Carinthiæ , qui hæc ipsa loca vidi & perlustravit. Ac licet uno in loco Lazio subscribat vetus Nauportum cum Labaco confundendo , alio tamen in loco disertè ponit hunc titulum : *Quomodo Maximinus Tyrannus Æ-monam, id est Labacum Metropolim Carniolie exusserit.* Et. Deinde in contextu capituli ait : *Cum Maximinus ferè attigisset Italiam , & ad Imperialem urbem E- monam (& nunc Labacum Metropolis Carniolie) per-venisset, reperit urbem apertam , à nullo hominum habita-tam : omnes profugerant , & vacuam urbem reliquerant,* Et. Hæc Megiferus quæ clara simul & vera sunt, quantum ad interpretationem Æmonæ.

Megifer.
lib. 3. An-
nal. Ca-
rinth. c. 56.

Carol. Ste-
phan. in
Diction.
Historico.
Poët.

P. Bert. lib.
1. Germ. c.
21.

Sextus fidejussor est Carolus Stephanus , qui in suo Dictionario Historico-Poëtico cum ad vocem Æmona pervenisset ijsdem planè verbis suam mentem explicuit, quibus usus est Ortelius supra nominatus & allegatus , ut proinde super-fluum sit, hic ejus verba producere.

VII. Septimus fidejussor est Petrus Bertius in Commentarijs de Germania , ubi producit etiam Itinera-

Itinerarium Antonini, & nomina locorum explicat. Ibi ponit etiam. *Emona* Laybach, quod latine dicimus *Labacum*.

VIII. Octavus fidejussor est Conradus Peutinger allegatus à Bertio, vir studiosissimus antiquitatum ; ejus verba sunt : *In Pannonia superiori conspicitur quoque vicinior Istriae Emona, & fluvius Savo, & Patavio oppidum.* Melius legendum esset Poetovio oppidum : vicinam dicit Istriae Emonam, & Labacum est vicinum Istriae, non tamen in Istria, sed sufficit quod dicat Emonam esse in Pannonia.

IX. Nonus fidejussor instar novem aliorum est Philipus Cluverius, quo nullus hactenus accuratius & exactius, imò & laboriosius scrutatus est antiquorum locorum situm & nomenclaturas. Is de se ipso scribit, quod has Provincias consultò lustraverit, ut earum statum veterem facilius explicaret, fide proinde dignissimus in plerisque : non enim potest assumi talis labor, ut in omnibus attingat veritatem, ne uspiam labatur Scriptor. Quæ de Labaco scripsit verissima esse evincunt ejus probationes. Totum textum exscribere longum foret : excerptam paucula. In descriptione limitum Italiae cum Pannoniam ab Italia discernit allegat *Vellei Paterni* verba : *Pars petere Italiam decreverat* (loquitur de exercitu Pannonicō) *junctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio.* & mox addit Cluverius : *Pannoniae oppidum erat Nauportus apud amnem cognominem, qui vulgo nunc dicitur accolis Laubach : Italiae vero oppidum erat Tergeste.* In medio horum erant *Alpes Pannonicæ, quarum summa iuga Italiam à Pannonia submovebant.* Hæc ille, qui deinde adducit textum Herodiani de transitu Maximini ē Pannonia in

Peutin. in
Tab. Antiq.
ap. Bert.

Cluver.
Ital. Antiq.
lib. I. c. 2.

Italiam, eumque erroris arguit quod Hæmonam in Italia collocaverit cum esset à Septentrionali parte ad radices Alpium in quarum summitate Italia tunc incipiebat, quod ut firmaret adducit Ptolomæum : *Ptolomeus* (inquit in descriptione Pannoniæ superioris) *Inter Italiam verò & Noricum Pannonia urbs Hemona.* Nec situm hujus urbis ignorare possumus, quando ita referunt antiqua Itineraria Romana.

Cluver.
cit.

<i>Tabulæ</i>	<i>Antonini</i>
<i>Aquileja</i>	<i>Aquileja</i>
<i>Ponte Sonti</i> xiiij.	
<i>Fl. Frigido</i>	<i>Fluvio frigido</i> xxxvij.
<i>In Alpe Julia</i> xv.	
<i>Longatico</i> v.	<i>Longatico</i> xxij.
<i>Nauporto</i> vij.	
<i>Emona</i> xij.	<i>Hemona</i> xvij.
<i>Savio</i> fluvio viij.	
<i>Ad publicanos</i> ix.	
<i>Adrante</i> vj.	<i>Adrante</i> xxv.
<i>Celeja</i> xxxvij.	<i>Celeja</i> xxvj

Pergit porro Cluverius : *Hoc scilicet illud erat usitissimum Romanis è Pannonia in Italiam iter, in quo Celeja oppidum ultra Savum amnem in Carniola, etiamnum clari comitatus caput est. In Italia verò Sontius fluvius hodieque vulgo dicitur l' Isonzo fume, & in hunc defluens Frigidus fluvius, vulgo nunc Wippach, circa cuius fontes sunt Alpes Julie, que & Pannonicæ dicebantur. Per has transitus erat via militari ex Italia in Pannioniam, cuius initium erat vallis siue campus, quem Nauportus medium secat amnis, vulgo nunc accolis Germanis Laubach, siue alia dialecta Laupach dictus. Ad hunc fuit oppidum ejusdem nominis Nauportam XI. millia passuum à summo Julie Alpis trajectu; & XII, ab eo millia in eadem*

dem planicie Colonia Hemona à qua in præscripto itinèrē VIII. numerantur millia ad Savum amnem.. Unde patet Hemonam esse eam urbem, quæ in ripa diti amnis vulgo nunc incolis vocatur communi amnis vocabulo Lupach, Italis Lubiana, Carniolæ caput. Huc accedit & inscriptio vetus quæ heic reperta est, Hemonæ nomen referens. Haec tenus Cluverius clarissimè & verissimè, ut nullum amplius sapientibus dubium possit superesse de vero situ Hemonæ sive Æmonæ. Quid verò idem Cluverius sentiat de authoribus, qui erroneè putant Æmonam in Istria locandam ubi modò Città Nova est, opportunius infra de-
promam.

X. Decimus fidejussor est vir in omnibus scientijs præsertim Theologicis & Historicis versatissimus Melchior Inchofer S.I. cujus verba appono: *Eademq; ratio fuerit de Æmoniensi seu marvis Æmonensi Pannoniae Saviae Ecclesiæ, siue ea sit quam Ptolomæus Æmonam, Julius Capitonius Hæmonam, Plinius Æmoniam vocant, & Plinius Pannoniae oppidum, Julius in Noricis. Ptolomæus inter Italiam & Noricum statuunt: bodie recentiores Metropolim Carniolæ Lubianam, siue Labacum nuncupant: quanquam alij maritimam Istriæ urbem censentes: cum Volaterrano alijsque recentioribus alio abeant, sed nullo quod sciām ex veteribus Authore. Ita profectō, nullus ex antiquis authoribus proferri potest, qui vel levi indicō Æmonam in Istria reponat: cūm econtra, qui ejus mentionem faciunt antiqui disertè illam in finibus Pannoniæ, sub Norico, vel in ipso Norico locent, ut supra ostensum est.*

X I. Undecimus fidejussor est Martinus Zeillerus, qui post peragratos penè totius Europæ

Inchof. Ap.
par. ad An-
nal. Hung.
To. 1. fol.
150

Zeiller
Itiner. Ital.
6. 2. n. 82

¶ German.
c. 15. fol.
175.

Provincias Itinerarium Italæ, Germaniæ, Galliæ, &c. conscripsit, ubi etiam de Labaco mentionem facit, & adstruit illud cum veteri Æmona à Ptolomæo inter Italiam, & Noricum à Plinio in Pannonia repositam, idem esse, subscribens sententiae Cluverij supra relatæ.

Merian.
in Topo-
graph.
Carniol.

XII. Duodecimus testis & fidejussor est Matthæus Merian Topo- & Geographicis tabulis hoc ævo clarus, Philippo Cluverio qui Labacum Æmonam, & Lazio quid Nauportum esse afferuit, quasi problematicè subscriptit, non tamen in Istria sive Nauportum sive Æmonam querit.

Fourn lib.
11. Geo-
graph. c.
13.

XIII. Decimus tertius fidejussor est Georgius Fournier, qui in brevi sua Geographia vetrem Æmonam Labaci reponit, cuius verba prætereo cum sit obvius & recentibus annis imprefsus multorum manibus teratur.

Æneas Syl-
vius Eu-
rop. c. 18.

XIV. Decimus quartus fidejussor est, quem ante alios nominare decuisset, sed seriùs in manus incidit Æneas Sylvius (qui & Pius Papa II.) ex Piccolomineorum familia, peritissimus horum locorum, quos frequenter pertransiit cum & Friderici IV. Legatum ad Romanam Curiam, & Slavogræcensem Parochum, & Tergestinum Episcopum ageret. Hic tantus vir de Nauperto sic sentit: *Istriam ab Istro amne dictam ferunt, quem à Danubio in Adriam fluere falso crediderunt. Cui errori ¶ Pomponius Mela, ¶ nepos Padi accola aures adhibuit. Argonautarum eos fabula decepit, quos per Istrum ex mari Pontico in Istriam vettos memoriae proditum est. Sed constat eos ex Istro in Savum ad verso flumine navigasse, deinde Nauportum, quem Labacum bodie appellari putaverim, cuius paludem Lugeam Strabo appellat. Ex Naupor-*

Nauperto verò per montes humeris *vedta* *navis* in *A-*
driaticum *pervenit*, &c. Si Nauportum agnoscit in
Carniola seu *veteri Pannonia*, utique & Æmonam
reponet *Labaci*, aut saltem in *Carniola*, cum hæc
duo *sint secundum omnes indisjuncta*.

XV. Decimusquintus fidejussor est *Henricus Palladius nuperus Forojuliensium Historicus*, qui licet Æmonam *Labaci* non collocet, *Pamportum* tamen sive *Nauportum* *Strabonis* *Labacum* *flu-*
vum *faretur*. Et quia Æmonam inter *Pannoniā*
& *Goritiam* stetisse affirmat, licet de loco determinato dubius hæreat, satis favet nostræ opinioni. Referamus verba : *Strabo videtur expressisse his verbis.* *Ocra* verò *humillima pars* est *Alpium*, *qua cum Carnis Japydes junguntur*, & *per quam onera ex Aquileja in Pamportum* *plaustris deportantur* : *quibus ad unquam Carsi juga ob oculos legentium exponit.* *Nam hæc sunt humillimæ Alpium partes*, *quibus Carni Japydibus continuantur.* *Et per has patens via est ab Aquileja in Lubianam*, propter quam *Pamportus labitur*, *ut ex eodem loco Strabonis aperte licet colligere*. Fatebuntur adversarij ibi esse Æmonam ubi *Nauportus* seu *Pamportus* *fluvius merces* ab *Aquileja* *delatas* *vehit*, ergo si *Nauportus* est *fluvius Labacus*, *Labacum* oportet esse Æmonam, vel certè aliquem alium locum vicinum *Nauporto*. Ob id ex aliorum mente reponens ad *Pobrado* in *Carso* : modo in *sylva Geldrudis*, quam Germani vocant *Pyrpameruualdt*, sive *Pirinam* *sylvam*, *Slavi Hruschizam*. Coeterum agens de itinere *Maximini* è *Pannonia Aquilejam*, nulla alia via profectum credit, quam per *Alpes Julias* & *sylvam* jam dictam *Pirinam*, ubi & diverterit ad urbem Æmonam. Et concludit :

Henric.
Pallad Re-
rum Foro-
jul. lib. 3.
fol. 52.

*Idem Pallad. lib. 7.
fol. 118.*

dit: *Cœterum de Æmona mirum, quod nusquam apparet. Nam post banc calamitatem fuisse restitutam, & cultu floruisse insigni ex posterioris ætatis Scriptoribus satis constat. Unus Wolfgangus Lazius situm designat propè Lubianam, quem nunc Iogium appellant: banc fuisse Æmonam ex Romanorum monumentis sibi persuadet. Monstrantur etiam antiqui oppidi vestigia in sylva Gel-drudis, quod proximius verò est Æmonam fuisse. Nam sylva & locus Gozitiense solum propemodum attingit, ut jam non inani argumento fuerit demonstratum, Maximum per hanc partem in Italiam penetrasse. Apparuisset certè Palladio Æmona in urbe nostra Labacensi si Antonini Itinerarium consulens dimensus fuisse iter Aquileja Celejam. Sed quidquid de situ Æmonæ ipse divinaverit, saltem tacitè insinuavit falli eos, qui Æmonam & Nauportum in media Istria propè mare inquirunt, cum id nullus antiquorum scriptum affirmet. Et cum Palladis in Foro julio scripserit, nihil dubito quin scierit hodie Cittanovam à quibusdam appellari Æmoniam, nullam tamen hujus rei mentionem fecit, quia scilicet id credidit fabulosum.*

*Anton.
Thibj. in
Not. ad
Pater.
Lambec.
in Bibli-
oth. Cæs.
lib. 2. c. 8.
Joan. Fris.
in Lex.
J. Passerat.
in Calep.
Cornel.
Schreuel.
in Calep.
Contro.*

XVI. Prætero nunc Antonium Thysium, Petrum Lambecium, & plures alios, qui vel expressè in nostram concedunt sententiam, vel tacitè eam probant cum extra Istriam in Pannonia vel Norica Æmonæ rudera investigant, quod sufficit nostro proposito, quo non tantum probare intendimus Æmonam veterem esse hodiernum Labacum, sed etiam ostendere Æmonam nullam unquam fuisse in Istria, nullam ad Quietum amnem, nullam in Città nova. Atquè ita clarissimè probatum est veram antiquis celebratam Æmonam quæ-

quærendam esse Labaci ex vetustis Geographis, & ab ijs designato situ Æmonæ : ex antiquis Historicis : ex antiquis Itinerarijs : ex antiquis Inscriptionibus : ex sensu Recentiorum Scriptorum. Restat nunc, ut viceversa probemus Æmonam veterem nec fuisse unquam, nec esse in Istria , ubi modo sita est Civitas Nova.



CAPUT III.

*Æmonam veterem non esse hodiernam
Citta novam in Istria clare ostenditur.*

§. I.

*Argumenta negativa ex Geographis &
Historicis antiquis, quod Æmona nun-
quam fuerit in Istria.*

I.

Ametsi argumenta supra adducta, quod Æmona vetus sita fuerit , ubi hodie Labacum Metropolis Carnioliae cernitur, sufficienter probent , ejus rudera non alibi quærenda esse , quam Labaci, adeoque nec in Cittanova, nec uspiam in Istria, *quia oppositum idem operatur in opposito, quod propositum in proposito.* §. fin. ff. de legat. nihilominus ut luce clarius eadem veritas ostendatur , resumendi sunt iterum Geographi & Historicci , & asserendum , quod nullus Geographus (quantum ego haetenus deprehendere potui) nullus Historicus antiquus Æmonam reposuerit in Istria.

Strabo
lib. 4.

*Idem Stra-
bo lib. 7.*

II. In primis Strabo Nauportum flumen asserit oriri ex Illirijs, & in Savum influere, à quo non esse removendam Æmonam constat ex Itinerarijs antiquis : nullum autem flumen Istriæ defertur in Savum, ergò Nauportus non est in Istria , ergò neque Æmona. Scio quod Strabo alicubi dicat: *Nauporto proximus est fluvius Corcoras, qui onera excipit; hic sanè Sabon intrat, Sabusque in Drabon.* &c: Verum cùm alio loco idem Strabo Nauportum nominet amnem navigabilem, qui Savum intrat, dicendum Strabonem hoc loco humani aliquid passum , & pro Nauperto nominasse Gorcoram fluvium, qui hodie vocatur Gurcka , & non procul Nauperto oritur , etiam alicubi navigabilis, cum quo tamen subsistit & Nauportum amnem ex Illirijs fluere , & Savum intrare, & ibi quærendum, ubi non procul est Corcoras , qualis nullus fluvius invenitur in tota Istria , sed in hodierna Carniola seu antiqua Japydia, tam Nauportus quam Corcoras; adeoque Æmonam non procul ab his fluminibus sitam fuisse. Ostendatur in Strabone vel unum verbum , quo affirmet fluvium aliquem Istriæ antiquis temporibus dictum Nauportum , & vertemus vela. Sed in toto Strabone ne syllaba quidem de hoc reperitur , ergò Strabo pro nobis est , non pro Istrianis.

III. Deinde Strabo nominat Nauportum Tauriscorum Coloniam, sed nullus unquam antiquus asseruit Tauriscos habitasse in Istria, ergò Nauportus colonia nulla unquam fuit in Istria , ergo nec fluvius à quo nomen desumeret Colonia: Item ab Aquileja dicit Strabo per Oram montem proficiscentibus ad usque Nauportum numerari stadia

dia cccl. vel (ut ipse mox adjungit) ut alijs videtur
D. qui sane numerus utcunque correspondet ho-
diernæ distantiaæ inter Nauportum nostrum & A-
quilejam uti supra ostensum. Non autem corre-
spondet distantiaæ inter Aquilejam & Cittanovam,
ac licet æquale foret, nusquam tamen ostendi pos-
set ex Strabone, quod per Oram promontorium
ab Aquileja ad Nauportum (intelligendo Qui-
tum Istriæ) merces deduci in plaustris, quæ per
fluvios ad Istrum vehantur, scripserit. Manet
ergo Nauportum Coloniam esse nostrum Hyper-
labacum, & Nauportum fluvium esse nostrum flu-
men Labacum, quod defacto merces devehit in
Savum, è Savo in Istrum seu Danubium.

IV. Sed & Plinius totus pro nobis est, in nullo
pro Istriani. Nam expressè Āemonam adstruit Co-
loniam Pannoniæ, expressè Nauportum conti-
nuari Savo innuit cum navigationem Jasonis ad-
versis fluminibus factam recenset, ex Danubio
in Savum, ex Savo in Nauportum, ultra quem
cum non possit amplius Jason navigare, humeris
navem transtulit per Alpes, quæ descriptio adeò
quadrat nostro Labaco, ut nihil possit clarius de-
siderari, cùm nullus aliis fluvius possit ostendi,
quo adversa navigatione ex Savo usquè fere ad
Alpes possit perveniri, quam noster Labacus. In-
trat Savum etiam Dravus & fortè eo adverso na-
ves trahi possent, sed origo ejus non est in Illyri-
cis, non deduceret ad Oram montem, non deduc-
ceret Aquilejam, verum in Noricum ex cuius Al-
pibus oritur. Istriam accuratè describit Plinius,
& nominat Āegida Coloniam seu Justinopolim, cu-
jus alij Scriptores non meminerunt. Cur ergò in

Istria non nominasset Nauportum vel Æmonam, si ejus tempore vel umbra nominis Æmonæ aliqui fuisset in Istria? Cur non reponit Æmoniam (quam videtur ab Æmona contra distinguere) in præfata Istria, sed potius in Norico? Nempe in Istria nunquam fuit Nauportus, nunquam Æmona, sed tam Nauportus quam Æmona in Pannoniæ extremitate sub Norico, aut saltem Æmona, si Nauportus ad Tauriscos & Noricos spectabat, uti Strabo notavit. Ostendatur vel unum verbum in Plinio quod ipsius ætate auditum sit nomen Æmonæ vel Æmoniæ in Istria, & cedimus Adversarijs.

V. Ptolomæus Alexandrinus exactè singulorum Provinciarum limites, urbes, colonias, loca descripsit & tradidit: nusquam tamen in Istria ullum verbum fecit de Æmona, sed clarè cum cœteris antiquis, cum descreberet Pannoniam repausit in ejus parte meridionali extrema Emonam: *Inter Italiam verò sub Norico Pannonie iterum civitas Emona.* Quid clarius posset dici? An aliquando Istria dicta est Pannonia, ut ideo sibi vendicet Æmonam? Proferatur antiquus author & cedimus. Describit idem Ptolomæus Istriam & ejus oppida, in Tabula Italiæ, & enumerat Tergestum, Formionis fluminis ostia, Parentium, Polam, Neseatum, ac civitates mediterraneas, Pucinum, Piquentum, Alvum, nuspian legere est nomen Æmonæ, sed posteri locorum & Geographiæ ignari fecerunt ex Alvum Alvona per nominis affinitatem cum Alvona Liburniæ vicina, ex Alvona errore amanuensium vel male legentium fecerunt

*Ptol. sup.
eit.*

Æmo-

Æmona, & nostram Æmonam ē Pannonia ingenti
saltu transtulerunt in Istriam.

VI. Vellejus Paterculus qui non audita sed
visa recensuit, & ipse met Pannoniam perlustravit,
disertè Nauportum in Pannonia reposuit, ut supra
vidimus. Idem agit Tacitus, cùm de militari tu-
multu ad Nauportum mentionem faceret. Erant
illæ legiones Pannoniæ, quæ cœperant tumultuari,
movebant ē Pannonia in Italiam breviore
haud dubiò itinere, quia properabant. Nullum
autem ē Pannonia in Italiam brevius iter, quām
per nostram Æmonam, nostrū Nauportum & con-
tiguas Alpes Julias. Æmona igitur & Nauportus
fuerunt in finibus Pannoniæ, non in meditullio I-
striæ, ubi est Citta Nova. Et sanè cui bono ē Pañonia
proficiscentibus fuisset per longissimas ambages,
abstrusissimas vias pergere in Istriam ut Romam
properarent, & non solum in Istriam, sed in Istriæ
medium, cum relicta procul à lævo latere Istria,
Romam pergere potuissent? Hoc argumento usus
est rectè Palladius, cum de itinere Maximini Ty-
ranni Romam ē Pannonia properantis differeret,
cum per Alpes Julias, quæ Nauporto nostro pene
contiguæ sunt, Aquilejam profectum esse conclu-
dit. Atqui eadem est ratio de legionibus, quas
Tacitus Romam contendentes ad Nauportum
turbatas narrat. Ergò neque Nauportus neque
Æmona unquam fuit in Istria.

VII. Herodianum adversarij pro se allegant;
sed immerito, quia non advertunt vel errorem
quem commisit, vel sensum proscripsit. Verba
authoris adducta sunt supra cap. 2. §. 2. n. 3. Ad
quæ observandum est; cum dicit Herodianus:

Vellej. cit.
supra
Tacit. sup.

Herodian.
cit. sup.

Maximinus postquam ad Italæ fines pervenit , non intelligit fines intrinsecos Italæ , sed extrinsecos , id est fines extra Italiam , ut patet ex contextu , quia inde præmisit Speculatores ad Alpes , in quarum summitate erant limites , qui Italiam à Pannonia & Norico submovebant , cum dicit : Ad primam Italæ urbem per ventum est , quæ Hemona ab incolis vocatur , volebat scribere ad proximam Italæ urbem , quia haud dubiè hæc erat proxima Italæ , cùm esset sub radicibus Alpium , quæ statim Hyperlabaci incipiunt . Aut fortè ejus tempore pars illa extrema Pannoniæ , qua Nauportum & Æmona stetit , adjuncta fuit Italæ , quæ tempore Plinij erat extra Italiam , sed vicina Italæ . Herodianus enim posterior fuit Plinio . 3. cum dicit : Ea sita est in extrema Planicie ad Alpium radices : ambiguum videri posset , num intelligat Alpium radices à parte Meridionali vel Septentrionali , sed mox se explicat quod intelligat radices à parte Septentrionali (aut si mavis dicere Orientali) cum sit modica inflexio ad Orientem : dicit enim : cumque noctem exegissent (Æmonæ) statim sole oriente ad Alpes acceſſerunt . Ecce antequam accederent Alpes fuerunt Æmonæ , ergo antequam transferent summitatem Alpium in quibus Pannonia ab Italia submovebatur , fuerunt Æmonæ ; ergo Æmona etiam secundum Herodianum non fuit in ipsa Italia , sed in finibus extrinsecis Italæ , id est in finibus intrinsecis Fannoniæ , qui situs omnino quadrat Labaco . Nam si sole oriente Labaco disceſſerunt terrestri Itinere per sylvam Labacensem , spatio unius horæ jam attingebant Oram & consequenter Alpes , quarum humilior pars est Ocra . 4. Cum dicit Herodia-

dianus Alpes illas esse vice murorum Italiæ , ut universam Italiam comprehendant, manifestè innuit, quod Alpes excludat ab Italia cum non possit idem se ipsum comprehendere, atquè adeò etiam Æmonam ante Alpes sitam supponit. 5. Cum dicit : *superatis Alpibus in Castra descenderunt*, insinuat ab hac parte Alpium ubi modo Hyperlabacum & Labacum est , stetisse Æmonam, non post Alpes Aquilejam versus & ad partem Meridionalem vel quasi Occidentalem. Imò cum dicit *ad Castra descenderunt innuit locum dictum Castra quæ Itinerarium Hierosolymitanum ponit xxxv. m. p.* ab Aquileja versus Nauportum & Æmonam , qui locus ex distantiæ observatione videri posset idem esse cum Haydenschafft , seu Hayduschina , ubi extant vestigia alicujus insignis coloniæ vel municipij , estque situs ad radices Alpium meridionales. Vel forte fuit *Prart.* Cluverius verò putat esse *Gmünde* non procul inde : Atque ita Herodianus si benè intelligatur pro nobis pronuntiat , non pro Istrianis. Magis turbavit sensum Capitolinus , qui ab Herodiano videtur mutatus & partem narrationis & phrasin , licet cùm vellet elegantiores reddere, corruperit. Nam ubi Herodianus habet *ad Castra descenderunt* , ipse scripsit : *ubi primum Castra in campo posuit* , non advertens *Castra* esse nomen proprium loci inter Alpes & Aquilejam , ut vidimus ex Itinerario Hierosolymitano. Nihilominus nec Herodianus nec Capitolinus sannavit Æmonam vel Nauportum in Istria, quod nobis sufficit.

Alia argumenta negativa ex antiquis
Historicis quod Æmona non sit
in Istria.

I.

Justin. lib.
32.

Tustinus Pompeji Trogi abbreviator de Colchorum itinere & persecutione Argonautarum agens hæc habet: *Histro-
rum gentem fama est originem à Colchis du-
cere; missis ab Æeta Rege ad Argonautas raptoresque
filiæ persequendos, naves suas humeris per juga montium
usquè ad littus Adriatici maris transtulerunt; cognito,
quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis prio-
res fecissent* Sc: In hac brevi narratione asseruntur ista. 1. Istrianos à Colchis originem ducere, quod non nego. 2. Colchos à Ponto navigasse in Istrum seu Danubium, ē Danubio in Savum adversis flu- minibus penitus inventos id est, quam procul navi- gare poterant, sed poterant ex Savo etiam in Labacum prout hodieque contingit, & quotidiana do- cet experientia. 3. Cum non possent ultra navi- re à portu Savi & contigui Savo Labaci, qui por- tus est Hyperlabaci, ut constat, naves suas humeris per juga montium usque ad littus Adriatici maris transtulerunt, hoc potuit fieri dissolutis na- vis compagibus per montem Carusadium & O- cram, ad littus non procul Tergesto. In hac nar- ratione nihil est de ædificata Æmona in Istria, ni- hil de Nauperto in Istria, quin potius supponit Trogus & cum eo Justinus, quod portus navis Colchicæ uti & Argonautarum fuerit ante juga montium, quæ sunt sine dubio Ocra & Carusa- dius

dius sive Carsum hodiernum , & non juga montium ad Cittanovam , nisi quis velit afferere illos per Savum & Labacum navigasse adverso flumine, usque ad portum Hyperlabaci ; inde navigasse per aërem usque ad Cittanovam , & ibi primum substitisse ac Quieto fluvio Nauporti nomen imposuisse. Ergo neque Nauportus neque Æmona unquam fuerunt in Istria.

II. Plinius, quem supra retulimus , clarius loquitur nulla mentione factâ , quod Nauportus fuerit in Istria ; sed insinuans potius ante Istriam. Verba ejus sunt Historiam cognominatam à flumine *Istro in Adriam effluente ē Danubio amne ēc: Plerique dixerunt falso: nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos, credo quoniam Argonautis flumine in mare Adriaticum descendit, non procul Tergeste, nec jam constat quo flumine. Humeris travet Alpes diligentiores tradunt: subiisse autem Histrio, dein Savo, dein Nauparto, cui nomen ex ea causa est inter Æmonam Alpesque exorienti.* Hic afferit Plinius 1. Negando quod Histria nominetur ab Istro seu Danubio , quasi illic in Adriam influente , & hoc benè negat. 2. Quod qui sic opinabatur decepti sint , eo quod putaverint , Argonautim per aliquod flumen descendisse ad mare Adriaticum , & fortè descendit aliquo flumine non procul Tergesto. Hoc possum dare adversarijs, licet non afferat Plinius absolute , sed ex aliorum mente , cum Trogus & Justinus dicant navem à jugis montium & per juga montium usque ad littus maris translatam. 3. Afferit Plinius quod diligentiores Scriptores de itinere Argonautarum tradant Argonautim humeris translatam per Alpes.

4. Ordine præpostero narrat, quomodo usque ad Alpes pervenerit, nimirum *subiit*, id est ascendit adversis fluminibus Istro, Savo, Nauporto, cui nomen ex ea causa est; quodibi portum navis tenuerit, ultra quem navigando ulterius pergere non potuit. Et hoc ad amissim quadrat nostro Hyperlabaco, ad quem fluminibus adversis Danubio, Savo, Labaco ascenditur, & subitur usque ad Alpes Julias, quæ statim post Hyperlabacum incipiunt. 5. Designat locum Nauporti fluvij, & ait originem habere inter Alpes & Æmonam, quod omnino etiam verificatur de fluvio Labaco, cuius origo est immediatè ad Hyperlabacum, & post illam originem sunt Alpes, quare Æmona ab hac parte quæri debet, nec potest alibi melius assignari quam Labaci (uti alia argumenta evincunt) ut origo Nauporti media sit inter Æmonam & Alpes. Nihil hic de fluvio *Quieto*, nihil de Æmona in Istria, nihil de Nauporto in Istria, sed potius de Nauporto in Savum influente, prout disertis verbis adstruit Strabo ex supra relatis. Ostendant mihi adversarij Savum in Istria, vel saltem flumen aliquem in Istria, qui Savum ingreditur, & credam illis quod olim fluvius aliquis in Istria vocatus sit Nauportus. Concessi paulò ante, quod translata navis Argo per juga montium, per aliquem flumen Tergesto vicinum descenderit in Adriam, sed cum non constet Plinio, quo flumine, nec mihi constat. Dabo tamen liberaliter adversarijs quod translata fuerit Argo ad amnem Formionem tanquam vicinorem Tergesto, nunquid ideo Formionem appellatum dicent Nauportum? Non certe, nisi antiquum fidejussorem exhibeant, quod præ-

præstare non possunt. Audebo illis etiam dare liberaliter, non concedere, quod Argo translata fuerit ad fluvium Quietum, nunquid audebunt concludere. Quietum olim fuisse dictum ob id Nauportum? Non certè, quia Plinius illum tantum fluvium agnoscit Nauportum, ad quem adversa navigatione ex Savo potest perveniri, quod nullo modo convenit Quieto. Et consequenter neque poterunt dicere Æmonam aliquando stetisse prope fluvium Quietum. Notanda sunt bene verba Plinij qui dicit, Argo navim ē Ponto per tres fluvios ascendisse quia contra fluxum pergebat, & de his fluminibus constabat Plinio alioqui non nominasset Istrum, Savum, Nauportum: Deinde dicit ex aliorum mente, quod eadem Argo navis descendederit per aliquod flumen in Adriam, sed addit non constare quo flumine: ergo supponebat Plinius illud flumen per quod Argo descendit in Adriam non fuisse Nauportum, tum quia per Nauportum subiit & ascendit usque ad Alpes, per alterum verò incognitum descendit, tum quia sciebat Alpes interpositas mari, & Nauporto ac Savo, quæ prohibebant ulteriore ascensum. Ergo neque Nauportus, neque Æmona unquam fuit in Istria.

III. Sozomeni Hermiæ, & Zosimi Græcorum Historicorum verba dedimus supra cap. i. §. i. In illis nulla etiam fit mentio sive Nauporti, sive Hæmonæ in Istria; verùm potius contrarium manifestè evincitur. Ait Sozomenus: *Transmisso mari, quod super Scythas est per flumina quæ per illas partes labuntur ad Italorum pervenerunt fines.* Hoc verum est de nostro Hyperlabaco à quo non procul abest

*Sozom.
lib. i. c. 6.*

Istria Italæ postrema regio : atque ita pars extre-
ma nostræ Carnioliae , qua Istriam contingit , est
limes & finis extrinsecus Istriæ seu Italæ. Deinde
dicit : *Ibi biemantes urbem condiderunt nomine Æmo-
nam.* Nimirum in illis finibus Italæ extrinsecis seu
exclusivis , quod de nostra urbe Labacensi optimè
intelligi potest , cum & Forum Julium & Istriam
vicinam habeat : neque enim fines & limites in-
divisibiliter apud Historicos sunt accipiendi. Per-
git Sozomenus sequenti autem æstate operâ incolarum
adjuti Argo navim quadringenta circiter stadia per
terram machinâ quadam tractam , deduxerunt in Aquilim
fluvium , qui in Eridanum influit , Eridanus autem in mare
Italicum exit. De errore circa fluvium Aquilim
(qui apud nullum alium authorem nisi hunc &
Authorem Tripartitæ legitur) & circa Eridanum
videri potest Cluverius ; nostro proposito satis est
admittere , quod ad aliquem fluvium ultra Alpes
protracta sit navis per quadringenta circiter sta-
dia , & rursum dare adversarijs quod ille fluvius
fuerit fluvius vel Formio vel Quietus , quo deinde
navis defluxit in Adriam. Quid inde elicient? num
quod ad Quietum fluvium condita fuerit Æmona?
num quod Quietus vel Formio dictus sit aliquan-
do Nauportus ? minimè : quin potius evidenter
ex Sozomeno colligitur , quod ab hac parte Alpi-
um Septentrionali ædificata sit Æmona , & post
ejus structuram Navis Argo per Alpes translata
sit , ac proinde neque Nauportus , neque Æmona
unquam fuit in Istria , quia priusquam transirent
Argonautæ Alpes , ædificarunt Æmonam.

IV. Zosimus cuius verba supra retuli una
cum Sozomeno designat longitudinem spatij cccc.

cir-

circiter stadia , per quæ humeris translata vel pertracta est Argo navis post conditam Æmonam , quod serè spatium inter Hyperlabacum & Tergestum deprehendes , si octo stadia pro mille passibus , & quatuor mille passus Romanos pro uno Germanico milliari computaveris , licet Cluverius brevius iter Tergesto Hyperlabacum esse putet . Nos plerumque numeramus Hyperlabaco Tegestum duodecim Germanica , quæ faciunt XLVIII. M. P. Romanorum : hæc verò CCCCLXXXIV. Stadia , ubi ad cccc. desunt solum XVI. Stadia. Sed credibile est veteres alijs vijs & ambagibus usos , & novas vias breviores inventas à posteris. Unde ex hoc etiam manifestè evincitur Æmonam non fuisse in Istria , ubi nunc est Cittanova , cum ne Stadio quidem uno distet à maris littore. Cluverius de ejus situ : In Tabula Itineraria (quam scilicet Conradus Peutingerus ex antiquis Bibliothecis erutam vindicavit à tineis) Histria peninsula figura depicta conspicitur &c: Parentium oppidum à quo linea itineris ad Polam per mediterranea ducta millia passuum adscripta habet XXX. Inter eam lineam & mare figura majoris ædificij adposita est qualis aquis calidis passim in eadem Tabula, & nonnunquam Prætorijs Romanis adpicta visitur. Supra id ædificium vocabulum adpositum est , dubia equidem & ambigua Scriptura QV AETI : infrà verò , vel potius à latere ejus , quod Polam spectat , vocabulum SILVO. Illud forte fuerit antiquum amnis nomen QV AETUS , qui vulgo nunc incolis dicitur Quietus , medium fermè Histriam secans. Ad bujus dextram ripam IV. circiter M. P. à mari vestigia conspicuntur antiqui oppidi , quod Italæ Scriptores hoc nostro seculo PER IMMAMENM ERROREM interpre-

Cluver.
Ital. ant.
lib. I. c. 21.
fol. 214.

tati sunt Hemonam Coloniam apud Nauportum amnem, quem volunt hodie esse Quietum, quum extra Italiæ fines Hemonam nunc Labacum dici apud fluvium cognomen in Savum defluentem supra patuerit. Hæc Cluverius in quibus unicum desiderarem, ut in Tabula quam vidit melius advertisset ad Characteres antiquitùs usurpatos; puto enim quod legisset *Alvo* pro *Silvo*. A quippe littera secundum Orthographiam Lombardicam & vetustam etiamnum in antiquis tam MSS: quam impressis libris conspicitur formata sicut S., & I conjuncta (sī) acconquerenter legere oportebat prædictum vocabulum *Alvo* quod inter Urbes aut Colonias Istriæ numerat Ptolomæus: Ex quo *Alvo* suspicor ego à posteris pejus lectum *Aemo* & inde formatum *Aemona*, quod errori occasionem tribuit.

V. Ex his modo adductis quæro ab Adversarijs ut. 1. Ostendant mihi ad mentem Justini per quæ juga montium post Cittanovam Colchi transulerint suas naves. 2. Ostendant mihi in Istria fluvium (ad mentem Plinij) qui cū Savo continuetur, & ultra quem navigari non possit, nisi per Alpes transferatur navis descensura per aliud flu men in mare Adriaticum. 3. Ostendant mihi Nau portum fluvium cujus Origo media sit inter Æmonam & Alpes, sed talem Nauportum per quem influentem Savo deferantur onera in Pannionam inferiorem, ut vult Strabo. 4. Ostendant mihi ad mentem Sozomeni conditam Æmonam ab Argonautis ē Ponto per fluvios adversa navigatione profectis antequam Alpes transirent, & ab illa Æmona distantiam cccc. circiter stadiorum ad alios fluvios Aquilim & Eridanum, qui se in mare exonerent

onerent minimum cccc. stadijs ultra Emonam, sed ostendant in Istria, ubi gloriantur se habere Emonam. 5. Ostendant mihi in Istria eandem distantiam ad mentem Sozomeni inter Cittanovam, & littus maris, & credam illis quod Cittanova sit vetus Emona: alioqui si id non ostenderint, dicam vel ipsos errare & somnia ac fabulas pro veritate vendere; vel præfatos Authores cum pluribus alijs antiquis turpiter hallucinatos: sed non potero prudenter antiquis Scriptoribus de rebus suæ ætatis scribentibus, negare fidem, & tribuere Neotericis parum versatis in Geographia antiqua, in qua sæpè hallucinantur etiam doctissimi Viri, qui multos annos in eo studio consumpsérunt: ergo remanebit conclusio, quod vetus Emona & fluvius Nauportus nunquam fuerit in Istria, & quod Neoterici Emonam in Istria collocantes immaniter à veritate aberrent; veteres autem qui vixerunt dum in flore esset Emona, veritatem scripserunt.

§. III.

Argumenta negativa ex Itinerariis antiquis quod Emona non sit in Istria.

I.

Ragmenta ex antiquis Itinerariis & Tabulis supra exhibui, in quibus nomen Emonæ & Emoniæ clarissimè exprimitur, sed nuspiciam vel minimum apparet vestigium quod Emona vel Emonia fuerit in Istria: Id enim ex alijs antecedentibus vel subsequentibus locis colligi deberet, cum econtra vicina

cina illa loca ostendi possint in Pannonia & circa Labacum. Ergo iterum Æmona nulla unquam fuit in Istria.

II. Unicum iter per Istriam invenio in Antonini Itinerario Venetæ editionis ubi fol. 170. ponitur titulus *de Italia per Histriam in Dalmatias.* Et mox designatur iter à Siscia Mursam, quod est in Pannonia, nullo intermedio loco Istriæ nominato. Tandem fol. 171. ponitur

Ab Aquileja per Histriam

Extramare Salonas M. P. cxcviii. Sic

Fonte Timavi m. p. xii.

Tergeste m. p. xii.

Ningum m. p. xxviii.

Parentium m. p. xviii.

Pola. m. p. xxi.

Trajetus sinus Liburnici:

In hoc itinere nominatur in Istria *Ningum* & *Parentium*, inter quæ medium erat *Altuum*, vel *Silvum*, sive locus ille in quo steterunt rudera Civitatis novæ; nequè ibi nominatur Æmona vel Æmonia, quæ tamen alibi in itineribus per Pannoniam nominatur, ergo signum est Æmonam nullam fuisse in Istria sed Pannonia. Et cum distantia inter Ningum & Parentium sit satis magna, nempe xviii. m. p. si quæ ibi fuisset Æmona cur non fuisset interposita, sicut alibi loca intermedia minoris distantiae nominantur, per quæ transibant exercitus Romani, ut supra vidimus? Certè nullam hic viderunt Æmonam Romani. Aliud etiam iter maritimum Istriæ describitur fol. 182. his solum verbis *A Pola Jader in Dalmatias stadia I. DL.* Sed etiam in hoc nullum nomen Æmonæ, imò nequè Nauporti,

porti, cum tamen in Pannonicis itineribus *Hennomacum* (pro *Hemonna*) & *Æmonia* nominetur. Ergo *Æmona* ulla unquam *Istria*.

III. Tabulas Peütingerianus inspexit Cluverius, nuspam ibi reperit nomen *Æmonæ*, sed ad flumen Quietum in medio Istriæ, quem moderni invitis omnibus antiquis Geographis & Historicis volunt appellare. Nauportum, deprehendit locum vel Coloniam cum vocabulo *Silvo*, quod legendum esset, uti ex Ptolomæo divinabam *Akvo*, ex quo recentiores formarunt *Æmo* & *Æmonia*. Ergo nequè ex Itinerarijs colligi potest ullum vestigium *Æmonæ* in *Istria*, sed potius tam Nauporti quam *Æmonæ* nomina consignata sunt in *Pannonia*, quæ si cum vicinis hodiequè nomen servantibus conferantur, ex ipsa locorum distantia evincent, *Æmonam* alibi quærrendam non esse quam *Labaci*, Nauportum verò *Hyperlabaci*, atque ita satis superque probatum est quod *Æmona* vetus sit & fuerit à prima ejus structura ubi modo *Labacum* est Metropolis in Carniola, quam imperii Thaumaturgi, audaci sed ridicula translatione conati sunt è *Pannonia* per *Alpes* Istriæ importare. Superest, ut Neoterici cujusdam, quem nominare non libet, futiles ad argumenta mea

(compendiosè in chartam conjecta) Responses discutiam, quod tam facile præstabo, quam facile vulpes pyrum comest.



CAPUT IV.

Discussio Responsionum Neoterici ad argumenta præcedentibus Capitibus adducta.

VT explorarem quid fundamenti habeat opinio quorundam Recentiorum asserentium veterem Æmonam vel Æmoniam esse in Istria, ubi nunc Cittanova, & Nauportum fluvium, ubi nunc est Quietus fluvius Istriæ, conjecti Anno 1672. summarie Argumenta mea (quæ hic latius deduxi) in chartam, adjectis insuper objectionibus nonnullis quæ videbantur contra me facere, ac transmisi, scriptum cuidam Neoterico in Istria habitanti, rogando, ut per unum aut plures viros doctos, & Geographiæ præfertim Istriæ peritos relegi, & si quæ in contrarium invenirentur, mihi transmitti curaret. Expectavi responsum à 7. Junij usque ad diem 28. Decembris qua mihi præsentatum est fusum Responsum, sub nomine cuiusdam V:G: ad mea dubia & argumenta, licet datum literarum fuerit pridie Idus Novemb. ejusdem anni 1672. Et quia hæc res est, quæ concernit honorem meæ patriæ, quem pro virili jure naturæ propugnare obligor, & Ciceronis effato *omnia quæ à nobis geruntur, non ad nostram utilitatem ē commodum, sed ad Patriæ salutem conferre debemus:* nec dubitem plurimes esse, qui contra torrentem antiquorum moradicus sint tutaturi, quibuscumque tandem medijs erroneam partis adversæ opinionem, discutiam singu-

singula puncta totius Responsi, & vindicabo debitum omni jure Labacensi Urbi vetus nomen Aemona. Prius tamen præmittam mea argumenta contracta, prout ea transmisi in Istriam.

§. I.

ARGUMENTA

Quod Aemona vetus sit hodiernum Labacum.

I.

 *X situ.* Ptolomæus eam locat inter Italianam & Pannoniam : *Inter Italianam verò sub Norico Pannonia iterum Civitas Emona.* Labacum est inter Italianam & Pannoniam seu Austria & Hungariam. Ergo Labacum est Emona , seu Aemona , seu Aemonia , quæ idem sonant. Et est sub Norico seu sub Carinthia & Tyroli.

Ptol.lib.
2.c. 15.

II. Herodianus Aemonam describens ait : *Ea est sita in extrema planicie, sub Alpium radicibus.* Sub quibus verò radicibus intelligat , colligitur ex sequentibus , quia describit iter Maximini ex Pannonia Aquilejam & ait : *Quumque noctem illic exegissent statim sole oriente ad Alpes contendebant.* Labacum situm est sub Alpium radicibus,sive enim terrestri itinere La-baco Aquilejam contendas , statim occurret mons Ocras de quo Strabo : *Ocra pars est humillima Alpium , Et Ptolomæus O-cre & Carnadio montibus, qui sub Norico sunt : & iterum Strabo: ATergesto vico Carnico transitus per Oram est ad Lugeam palu-dem.* In confessu autem est Lugeam paludem esse vicinam Labaco,ergo Labacum est vetus Emona. Sive etiam profi-ciscaris Labaco Aquilejam adverso flumine Labaco breviore via, ut primum veneris Hyperlabacum & perrexeris Aquile-jam versus , attinges radices Alpium , ipsum montem Oram & Albios montes proximos,& dein ad Alpes ipsas Julias per-venies,

Herod.
lib. 8.

Strabo.
lib. 7.
Ptol.lib.
3.cap. 1.

III. *Ex situ* fluvij Labaci quem esse veterem Nauportum ipse Plinius convincit. Nam describens iter Jasonis in Ita-liam sic habet : *Subiisse autem Istro, dein Sao, dein Nauperto , cui nomen ex ea causa est inter Aemonam Alpesquè ex orienti.* Certum est in Danubium fluere Savum , & in Savum fluere Labacum,

Plin.lib.
3.c. 18.

ergò adversis fluijs navigando pervenit Jason ad fluvium Labacum, eique à navis suæ portu nomen indidit. Cum ergò Origo Nauporti sit media inter Alpes & Aemonomam, & constet Alpes esse à parte meridionali Nauporti Originis, debet Aemona ostendi à parte Septentrionali ejusdem Nauporti, quæ alibi melius locari non potest quam Labaci. Quam perluit Nauportus. Dicit præterea Plinius: *Ad Septentriones Pannonia vergit, smitur inde Danubio. In ea Colonia Aemona, Piscia.* Ergò ex mente Plinij Aemona est Colonia Pannoniæ, & ex mente Ptolomæi vicinæ Italiam & Norico, quæ omnia convenient Labaco.

IV. Ex Itinerario Antonini manifestè idem evincitur quod sic habet.

Aquileja.

Fluvio frigido xxxvi. m. p.

Longatico XII. m. p.

Hemona XVIII. m. p.

Savo fl. VIII. m. p.

Aquileja nota est. *Fluvius Frigidus* omnium Scriptorum consensu est inter Alpes hodiernum Vipao. Inde XII. millibus passuum seu tribus milliaribus Germanicis distat Longaticum, quod adhuc hodie nomen ex parte retinet, dictum ab incolis Slavis Logatiz. Ex Logatiz Labacum sunt recte quatuor millaria Germanica cum dimidio, ergo Hemona est hodiernum Labacum, cum Romana XVIII. m. p. faciant quatuor Germanica cum dimidio. Et quia Savus fluvius Solis VIII. m. p. distabat ab Aemona, iterum colligitur Aemona vera fuisse Labaci, quia Savus Låbaco distat duobus milliaribus ubi olim erat Trajectus.

V. Ex antiquis lapidum inscriptionibus Labaci repertis idem ostenditur.

I. Lapis.

Est immuratus in pariete Ecclesiæ B. V. Ordinis Teutonici.

M. TITIO. M. F. CL.

TI. BARBOI. TITIA.

NO. DECURIONI EMONE.

T. LEG. II. ADIUTRIC. &c.

II. Lapis.

II. Lapis.

Extabat non pridem in eadem Ecclesia , prout eum descripsit Wolfgangus Lažius Cæsareus Historiographus. lib. Reip. Rom. 21. c. 6.

ENNIO SECONIS F. &c:
O. AN. XXXV. EISECV.
SECCO EMONS. Y.
O. AN. LI. EMON. Y.

Wolfg.
Lažius
Coment.
Reip.Rom.

III. Lapis.

A me primum observatus in porta Civitatis Teutonica , sic habet :

VARIO TI.
P. NARBON.
VET. LEG. XV.
— — VENIX
P. EMONIAE.

IV. Lapis.

In prædicta Ecclesia Teutonici Ordinis, licet recentior , fidem tamen méretur.

PAMPHILO FRUMENTINO. VIRO
INTEGERRIMO &c: HUC PROFECTO
MORTEQUE HIC EMONE PRÆ-
VENTO &c: PISSIM. FIL. &c:
MONUMENTUM. FIERI. C. OBIIT
IN. CHRISTO. XII. FEB. M. D. LXVIII.

V. Lapis.

In Iggio pago extra Labacum , ubi olim Æmonenses prædia habuerunt, & adhuc habent nonnulli Labacenses, quia locus propinquus :

D. M.
VENIX. EM.
PEONIS F.&c.

VI. Lapis.

In eodem Iggio legitur :

ODECO - MONS. F.
ENNÆ. VOIAPUS. F.

Videtur deesse littera E , ut sonet EMONS. Ergo iterum ex lapidibus colligitur vera Æmona esse Labaci.

ARGUMENTA

Quod Citta Nova non sit Æmona.

I.



Uia nullus antiquus Scriptor Æmonam vel Æmoniam collocat in Istria, licet aliqui recentiores, præsertim Itali nostrarum partium ignari id scribere sint ausi. Unde Cluverius accuratissimus antiquitatis scrutator agens de *Silvo* veteri in vetustis Tabulis Antonini observato, sive Colonia, sive mansione Istriæ propè Quietum amnem. *Ad Quietum dextram ripam* quatuor circiter millia passuum à mari vestigia confincintur antiqui oppidi, quod Italiae Scriptores hoc nostro seculo per inmanem errorem interpretati sunt Hemonam Coloniam apud Nauportum amnem, quum extra Italiae fines Hemonam, nunc Labacum dici apud fluvium cognominem in Savum defluentem supra patuerit.

II. Quia situs Emonæ, qui ab antiquis authoribus describitur in nullo congruit Civitati novæ, ut constat ex relatis. Nullus enim fluvius Istriæ defluit in Savum, sicut influit Labacus fluvius Carnioliarum; nullus est medius inter Civitatem novam & Alpes; per nullam Istriæ civitatem potuit Maximinus orto sole accedere Alpes, sicut potuit per Labacum; Nulla civitas Istriæ est sub radicibus Alpium Julianarum, sed tota Istria inde remota &c:

III. Quia nullum Itinerarium collocat Æmonam in Istria, sed potius in Carniola, ut visum.

IV. Quia nullum antiquum lapidem cum inscriptione potest monstrare Civitas Nova, quo probetur illic aliquando fuisse Æmonam, sicut potest ostendere Labacum.

*Unde ergo Episcopis Civitatis Novæ appellatio
Episcoporum Æmoniensium?*



Espondeo, vel per errorem, vel per translationem non reperio Episcopos Civitatis Novæ appellatos Episcopos Æmonentes vel Æmonenses nisi primum Anno 1029. in Privilegio Conradi II. Imperatoris, ubi hæc lego: *Largimur & corroboramus Sanctæ Æmonensi Ecclesie & Joanni eiusdem Präfuli, &c: Vil-lam S. Laurentij juxta Æmonensem civitatem positam &c: Si verè tale*

Cluver.
lib. 1. Ital.
antiq. c.
21.

Ugbeit.
fol. 22r.
Tom. 5.
Episc: Ital.

tale diploma extat prout tradit Ughellus. Deinde reperi ego ipse in litteris Originalibus Monasterij Oberburgensis hanc subscriptionem: *Adam Emoniensis Episcopus Anna 1140.* Ante- riores Episcopi solum nominantur Episcopi Civitatis Novæ, ut in diplomatis Caroli Magni Imperatoris apud Franc. Palladium videre est. Unde suspicor nonnullos, qui Jasonis na- vigationem scrutabantur ejus fuisse Opinionis, quod in Adria- ticum mare descenderit per fluvium Quietum, & rudera illa, ex quibus condita est circa tempora Caroli Magni, vel paulo ante circa annum 700. Civitas Nova, fuisse rudera Emonen- sis Civitatis; hinc post annum Christi 1000. cœperint se illi Episcopi nominare Emonenses, cum jam nulla extaret memo- ria Civitatis Emonæ, circa annum 600. Christi in rudera conje- ctæ, quæ tamen habuit priorib' seculis suos Episcopos. Hac ra- tione nomenclatura ab Æmona desumpta fuisset per errorem.

Altera cogitatio occurrit, quod Episcopatus Civitatis Novæ, de cuius initio nihil reperio; erectus sit circa annum 780. vel paulo post ab ipso Carolo Magno, quia adhuc anno 788. Istria unicum Episcopum habuit Mauritium, ut videre est in Epistola 57. Adriani Papæ, & Carolus Imperator in suis di- plomatibus Anno 803. videtur loqui de Episcopatu Civitatis Novæ quasi recenti, cum ait: *Sex Episcopatus, unum videlicet Concordiensem, alium Utinensem, tertium illum, qui apud Civitatem Novam constitutus esse noscitur.* Quod si tunc primum erectus est, quo tempore nostra Emona in ruderibus jacuit, & indu- citis in hanc patriam Germanis per Carolum Magnum, flu- vius Æmonæ vicinus appellari cœpit Laubach / quasi langui- dus fluvius, ac consequenter etiam vicina Civitas, quæ incipiebat reparari, facile per duo secula potuit eva- nescere nomen Æmonæ, ac deinde cum erigeretur Epi- scopatus in Civitate Nova nomen Emonensis extincti illi attribui; atque adeo Æmona transferri ad Civitatem novam, cum non constaret amplius ubi quondam stetisset vera Æ- mona. Nihilominus quia primi Episcopi Civitatis Novæ non sunt appellati Æmonenses sed solum Episcopi Civitatis Novæ non possum credere in ipsa erectione hujus Episcopatus fuisse tributum illis nomen Æmoniem, atq; adeò non esse fa- clam talem translationem, sed credibilius est per errorem & affectionem novi nominis posteriorib' temporibus usurpari

Franc.
Pallad. p.
I. lib. 4.

cœptum

cœptum vocabulum *Æmonensis* cum putaretur *Æmona* fuisse in ruderibus Civitatis Novæ sive *Silvi*, vel *Alvi*; sed male putabatur.

Franciscus Palladius in Historia Foro Juliensi narrat Episcopatum Maranensem translatum esse *Æmonam* seu Civitatem Novam, id unde hauserit nescio; hoc tamen scio quod erret dicendo post annum 588, nullam amplius reperiri mentionem Episcopi Maranensis, cum tamen in Concilijs reperiatur subscriptus Maranensis Anonymus Anno 649. quo nullum amplius Emonensem invenio. Credibilius ergo esset *Æmonensem* Episcopatum (seu Labacensem) translatum esse ad Civitatem Novam, quam Maranensem, ut translationi etiam nomen congrueret, si modo reperiatur aliquis Episcopus Civitatis Novæ nominatus Episcopus *Æmonensis* ante annum 1029. quod hactenus non deprehendi: vel saltem constaret certum initium conditæ Civitatis Novæ, & erexit ibidem Episcopatus. Denique id certum est, & minimè disputationi obnoxium veram *Æmonam* celebratam antiquis scriptoribus in Pannonia sub Norico, quam Jason condidit, & verum Nauportum Coloniam & fluvium, non alibi posse designari quam *Æmonam* in Urbe Labacensi, Nauportum fluvium in fluvio Labaco, qui Urbem Labacensem perfluit: & Nauportum Coloniam in Hyperlabaco prope originem Nauporti fluyij, tribus milliaribus supra Urbem Labacum. Unde autem, & quando, & quomodo Episcopi Civitatis Novæ acquisierint titulum *Æmonensium* vel *Æmoniensium* Episcoporum, id mihi hactenus incompertum; & mallem erudiri ab alio, quam meis conjecturis inniti.

Scio quod nonnulli putent *Æmonam* & *Æmoniam* fuisse civitates distinctas, & *Æmonam* quidem agnoscunt Labaci, at vero *Æmoniam* in Carnia, Dominio Veneto, Glemonæ, uti Cluverius ex Plinio colligit. Verum nuspiciam reperio distinguere *Æmoniam* ab *Æmona* nisi apud unicum Plinium, qui tamen de multis erroribus accusatur; & licet id verum esset, non tolleret tamen Labacensi Urbi illum honorem, quod veteres illi Episcopi ut S. Maximus, Joannes, Patritius & alij fuerint alterius loci Episcopi quam Labacensis Urbis vera *Æmonæ* non *Æmoniæ*. Scribuntur enim & in Conciliariorum actis, & apud probos authores *Æmonenses*, vel sine diptongo Emo-

Emonenses, quales inscriptiones nostrum Labacum habet, non autem Aemonenses sicut hodierni Episcopi Civitatis Novæ. Sed mihi probabile omnino videtur Plinium lapsum cum inter Aemonam & Aemoniam distinxit. Nam Labaci utraque nomenclatura extat in lapidibus, ut supra visum, subinde Emone, alias verò Emoniæ. Ac proinde Emona & Emonia sive cum diptongo Aemonia & Aemonia una eademque civitas censeri debet, & quare tantum Labaci.

§. II.

*Discussio Proœmij Responsionis à Neoterico
Scriptæ.*

I.

NEOTERICUS. *Responsiones ad Argumenta D. Archi-Diaconi Carniolæ afferentis bodiernum Labacum esse antiquam Urbem Aemoniam, negantisque bujusmodi titulo recte nuncupatam Aemoniam Istriæ, nunc Civitatem Novam.*

I. *Quod immani ferro, ac prædabunda manu antiqui Pannoni ex Italicis Urbibus hactenus non rapuere, nunc aucto calamo moderni abstrahere conantur, iterum pertentando Sophisticorum argumentorum acie priscam Aemoniæ Urbis gloriam abripere, eamque ad Alpes transferre. Verum enim verò deacuminato stylo, & retorta penna in objecto veritatis clypeo non amplius forsitan suas ultra Alpes volare audebunt, nec nostras Italicas pertingere ad oras. DEO igitur veritatis Duce & Audore nobis assistente contradicimus argumentis Domini Archi-Diaconi, quibus ipse probare conatur. Quod Aemonia Urbs sit bodierium Labacum.*

II. *ARCHI-DIACONUS. Ad tam immane clasicum, & tonitruantes ampullatorum verborum minas exspectabam Persarum phalari-*

cas , Macedonum Sarissas , imò fulmina irati Iovis , quibus excipiendis non sufficeret Ægis asperata Gorgonibus ; sed cum totam Responsionis seriem cursim perlustrasse , post ingentes bombos , nihil aliud deprehendi , quam meras stipulas , & inanes aristas , quæ nec superficiem attingunt inviolabilis veritatis. Benè factum quod Adversarius Clypeum nobis porrigat ; nam ipse objecta nostra solida argumenta vocat Veritatis Clypeum , in quem *de acuminato Stylo* , *& retorta pennâ* collimat. Facilè inanes ictus excipiemus. Sed quia conqueritur 1. quod iñani ferro ac prædabunda manu antiqui Pannones (non enim Pannoni) ex Italicis Urbibus multa rapuerint , id rotundè negamus. Nam Historiarum peritî eos , qui Italiam per aliquot secula (immittente D E o peccatis flagella) divexarunt , non Pannones fuisse , sed violentos Pannoniæ occupatores affirmant , Vandulos , Gothos , Longobardos , Avares , Hunnos , quibus etiam extrema Pannonia , nostra in quam Carniolia sua rudera & cineres acceptos refert. Si de Slavis conquestus fuerit , idem dicimus : quamvis ipse unà nobiscum nomini parere debeat , cum æquè ferè Istriam ac Carnioliam hodie retineat Slavorum lingua , si non posteritas. Conqueritur 2. quod moderni acuto calamo (satis haftenus obtusum fuisse doleo) pertentent a liquid Italia abstrahere , id ambiguè dictum est. Nam si quispiam conatur abstrahere Italiæ , quod Italiæ est , non probo , & pro nunc neminem scio : si quis autem repetit quod suum est , nulli facit injuriam , sed operatur secundum Justitiam cuius munus est reddere cuique suum. Et ut ait S. Ambro-

brofius : *Fortitudo, quæ vel in bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena Justitiae est.* Conqueritur 3. quod Pannones moderni conentur Sophisticorum argumentorum acie, priscam Æmoniæ Urbis gloriam abriperere, eamque ad Alpes transferre, id prorsus alienum à veritate existimo. Nullum enim modernum Pannonem, id est (secundum modernam Provinciarum divisionem) Ungarum novi, qui de Æmona solicitus sit, aut de ejus translatione ad Alpes ; si verò me vocat Pannonem, quia inquilinum illius patriæ, quæ olim Pannonia dicta fuit, nego me velle Æmoniam transferre ad Alpes, sed retinere ad radices Alpium, ubi teste Herodiano sita est, ac prohibere ne audaci metaphora transferatur ultra Alpes ab exteris : nego me Æmoniæ Urbis gloriam velle rapere, sed Æmonæ patriæ meæ gloriam vindicare contendō : nego me uti argumentis Sophisticis, sed veris ac solidis rationibus, & authoritatibus ex penu Sacrae antiquitatis deprōptis. Nihil hic habet quod conqueratur Adversarius : *Non enim videtur rem amittere cuius propria non fuit ex Reg. Jur. Civil. 84.* Unde sicut Adversarius Deo Duce, ut patet, contradicit meis argumentis, ita vicissim ego eodem Deo Duce contradico ipsius contradictioni.

III. NEOTERICUS. 2. *Et pro nostræ sententie fundamento notandum premittimus, ab antiquis Geographis & Historicis post Thessalicam Æmoniam, de qua nunc non est sermo, tres alias Urbes citra Alpes vocabulo Æmoniæ seu Emoniæ inveniri nuncupatas.*

Unam inter Italiam & Pannoniam sub Norico, de qua Ptolomeus lib. 3. c. 15. Geographicarum Enarrationum

tionum atque in *Mappa & Quinta Tabula Europæ*. Et Plin. lib. 3. c. 17. in fine.

Alteram de qua Plinius lib. eodem. c. 23. in descriptio-
ne Norici, sub titulo *Æmoniae Claudiæ*.

Tertiam de qua idem Plinius libro citato c. 25. in Dal-
matiæ descriptione. Et Ptolomeus lib. cit. c. 17. dum
Illyridis & Dalmatiæ enumerat *Civitates*.

IV. *ARCHI-DIACONUS*. Sanum Consilium est ædificium incipere à fundamento, quia ubi fundamentum deficit, super ædificari non potest. L. 26. ff. de Except. rei Judic. Vereor autem ut hoc fundamentum super arena sit positum. Quatuor Æmonias comminisceris Neoterice, cur non ex cogitas adhuc Quintam in Istria, cum nulla nominatarum quatuor possit reponi in Istria. Non prima, quia quod est in Græcia vel Thessalia non potest esse in Istria. Non secunda, quia quod est inter Italianam & Noricum, non est in ipsa Italia; non est in meditullio Istriæ, quæ est peculiaris Regio Italiæ, ut tuo modo argumentandi utar. Non Tertia, quia quod est in Norico non potest esse in Istria: non Quarta, quia quod est in Dalmatia non potest esse in Istria. Sed discutiamus an bene enumeret vel nominet Æmonias, & an revera quatuor aliquando fuerint in rerum natura.

Ptol. lib.
2. c. 15.

Ptolomæus unius tantum Æmonæ sive Emonæ meminit lib. 2. c. 15. non sicut Neotericus scribit, lib. 3 Ptolomæi verba sunt clara: *Inter Italianam ve-
rò sub Norico Pannoniæ iterum civitas Emona*.

Plin. lib.
3. c. 18.

Ejusdem mentionem facit Plin. lib. 3. c. 17. in fine, ut ait Neotericus, sed est apud Plinium c. 18. his verbis, cum de Argonavi scribit: *Subiisse autem
Istro, dein Sao, dein Nauporto, cui nomen ex ea causa
est,*

est, inter Æmonam Alpesque exorienti. Hæc Æmona eadem est cum Æmona modo dicta Ptolomæi, de qua iterum Plinius eodem libro. c. 25. ait: *Ad Septentriones Pannonia vergit, finitur inde Danubio. In ea Colonia Æmona, Siscia.* Et hæc est prima Æmona seu Emona. Alteram Neotericus producit post Thessalicam ex citato Plinio lib. 3. c. 23. in descriptione Norici. Et est Plinij c. 24. ubi hæc verba leguntur: *Rhetis junguntur Norici, oppida eorum Virunum, Celeja &c: Æmonia, Claudia, Flavium.* De hac Æmonia à solo Plinio in Noricis memorata disceptant Authores, & quidem Ortelius putat. Emonam Ptolomæi eandem esse cum Æmonia Plinij, consequenter eandem Urbem bis nominasset Plinius, semel in Pannonia, semel in Norico. Ejusdem opinionis videtur esse Lambecius infra allegandus. Cluverius in Norico agnoscit, Æmoniam, in oppido dicto Amone supra Julium Carnicum, Æmonam verò statuit Labaci. Hanc litem componere non est hujus loci. Demus hanc esse secundam Æmoniam, diversam à prima Æmona. Tertiam Æmonam assignat Neotericus apud Plinium lib. cit. c. 25. in *Dalmatiæ descriptione* (ut ipse loquitur) & *Ptolomæus libro citato*, c. 17. dum *Illyridis & Dalmatiæ enumerat civitates.* Ecce tibi hominem subtestâ fide. Cuivis imponere Neoterice? mihi? qui Ptolomæum, qui Plinium me legisse ostendi, cum argumenta mea transmisi? An putas me plus tibi quam authoribus delaturum? vel erras, & tunc disce; vel falsum loqueris, & potius file, loquantur Authores. Plinius loco citato merè incidenter agit de Dalmatia, & solum dicit illo capite quod pars Alpium, quæ ad mare Adriaticum

ticum spectat appellatur Dalmatia, & Illyricum, quæ vero ad Septentriones, Pannonia. Nihil aliud de Dalmatia, totum reliquum caput est de Pannonia, cuius Urbes, fluvios, populos ibi recenset, uti omnes qui in hoc genere vel leviter versati sunt fatebuntur. Ibi nominatur Emona, & disertis verbis Pannoniæ Colonia dicitur; *Ad Septentriones Pannonia veroit, finitur inde Danubio, In ea Colonia, Emona, Siscia.* Et tu audes dicere, quod hoc loco Plinius in Dalmatia reponat Emonam. Ad dis insuper, ut errorem errore cumules, quod etiam Ptolomæus nominet Emonam inter Dalmatiæ civitates; falsum est. Etiam nos Ptolomæum legimus, etiam nos Latinè intelligimus, & si opus est ē Græco in Latinum traducimus; nuspiam Ptolomæus inter Dalmatiæ civitates enumerauit Emonam vel Emoniam. Loco à te citato id est c. 17. lib. 2. hæc habet Ptolomæus; *Post Istriam Italæ reliqua Liburnia, que in Illyride est maritima sequitur Ora, Alvona, Flavona Tarsatica &c; Emona, Jadera &c; Dalmatiæ autem Civitates juxta littus, Sicum, Salone &c;* Nota bene Critice Enonam in Liburnia nominat Ptolomæus, quæ nunc Nona est, non verò Emonam, vel Emonam, quæ sunt distinctissimæ. Ergo tertiam Emonam seu Emonam, seu Emoniam casso labore inquisivisti, cum non fuerit nisi una, & si Plinio hic credimus, ad sumnum duæ & illæ tamen una littera distinctæ Emonæ in Pannonia, Emonia in Norico, neutra in Istria, imo nec proximè vicina Istriæ, multo minus in medio maritimæ Istriæ. Quartam insuper quandam Emoniam in Græcia Urbem tibi confingis. At quis hujus Emoniæ Urbis in Græcia meminit? Emoniam,

niam regionem Græciæ, quæ & Theffalia dicta est, & Pelasgicum Argos, & Hellas apud probos Authores lego: nullam verò hujus nominis Urbem in Græcia, ut tu somnias. Quanquam postea in fine totius Responsionis tuæ, quasi è somno evigilans, unam tantum videris agnoscere Āemonam, eamque scribi asseris modo Āmoniam, modo Āmoniam, & Āmonam & Āmonam prout libitum, ais, aut voluntas cujusque suggererit. Sed non te morabor in Proœmio, quia plura in discursu tuæ contradictionis restant, quæ involvunt contradictionem. Progrediamur.

§. III.

Discutiuntur Responsionis num. 3. 4. 5.

I.

EOTERICUS. At nullam earum esse dicimus bodiernum Labacum. Non primam, de qua Ptolomeus loco citato, uti in suo primo argumento D. Archi-Diaconus eodem Authore probare intendit. Nam pace ipsius licet nobis dicere, allegatam autoritatem deficere, inesseque maximum perfectionis defectum, notarique artificiosæ reticentiae aut omissionis partium dictionum, quas ex eodem auctore legere, desumere, argumento suo promere simul debuerat,

Quare ad oculos iterum habeat quæso locum citatum obseruetque statutos superioris Pannoniæ primos terminos ab Occasu, ex his pergit ad Meridionales ejusdem regionis hisce verbis descriptos. A Meridie parte Istriæ ac Illyridis juxta lineam parallelam, quæ à præfato fine occidentaliori per Albanum montem exit usque ad Bebios montes, & limites Inferioris Pannoniæ

Num. 3.

Num. 4.

niæ &c : qua descriptione profecto corruit illatio desumpta ab allatis verbis Ptolomæi: Inter Italiam verò sub Norico Pannoniæ; Iterum civitas Emona. Nam cum Istria contermina Pannoniæ suos non ferat limites ultra prima juga montium , qui nunc vocantur La Vena , suntque ijdem qui per lineam parallelam tendendo junguntur Albano monti ad Bebios procurrenti , à qua linea ad Libaci situm plura profecto interjunt juga Alpium , pluraque & forsan ultra centum passuum millia enumerantur: Pathetica equidem oritur demonstratio Ptolomeum unquam intellexisse situm Labaci titulo Æmoniæ describere: non enim inter Italiam & Pannoniam, sed intus & infra Pannoniæ limites existit.

Num. 5.

Nec huic nostræ sententiae refragantur verba illa Pannoniæ Civitas. Nam sat scimus casu geniti: vo sapientius consueuisse Scriptores indicare possessionem, non situm. Et cum in confessu sit apud omnes Historicos , & Geographos : præcipuequè placeat Straboni lib. 7. Istriam nostram ante Augusti tempora in Illyricum recensitam fuisse , terminumque inter Istriam & Italianam fluvium Formionem statutum. Ait enim. l.c. Primos in Illyrici ora Istros conterminos Italiæ & Carnis. Ideò mirum non est si Ptolomæus , qui floruit circa ea tempora (sua enim opera Cæsari dicavit) sciens Istriam in Illyrico recensitam fuisse , Æmoniam Istriæ Civitatem inter Italianam & fines Pannoniæ statuerit ; & ex eo quod Illyricum in quo Istriæ nostra tunc habeatur sub Pannonia transalpina ditione erat ; ideo adjunxerit in fine Pannoniæ iterum civitas Æmona. Qua quidem forma ad verbalique repetitione non utitur in describendis cœteris Pannonicis civitatibus. Haec tenus Neotericus.

II. ARCHI-DIACONUS. Nihil est Neotericæ , quod de mea reticentia aut silentio conqueraris,

raris, quia si sapiens es, deberent tibi pauca sufficere, imò satis esse locum Authoris designari. Plura tibi dicam quam ferre possis, non tamen recitabo totum Ptolomæum. Argumenta mea quæ tibi communicavi sunt Projectum Synopticum, & brevissima summa probationis, quam hic fusus deducta, legere poteris, & speculari quomodo te extrices. Non argue igitur quasi artificiosè reticuerim quod promere debuisse. Imò te ipsum argue, quod reticeas, quæ pro me faciunt. *Quare ad oculos iterum habeas locum citatum Et; & lege principium Capitis 15. apud Ptolomæum. Pannonia superior terminatur ab Occasu monte Cetio, & pro parte Caravanca. A Meridie parte Istriæ ac Illyridis, juxta lineam parallelam, quæ à præfato fine occidentaliori per Albonum montem exit usque ad Bebios montes Et;* Non arguo te artificiosæ reticentiæ, quod præterieris in tua Responsione terminum occidentalem Pannoniæ, qui Labacum proximè sub Norico constituit, siquidem cap. 15. Ptolomæi pridem legi, & si solum id numero designasses, potuisse relegere. Quæro nunc in quem finem volueris me ante oculos habere terminum meridionalem Pannoniæ? nempè ut ais quia hac descriptione corruit illatio mea desumpta à verbis Ptolomæi. Quomodo corruit, si ipse Ptolomæus clarissimis verbis enuntiat quod ego afferui? Ego afferui, & intuli: Ergo Labacum est Emona, quia est inter Italiam & Pannonię reliquam, est sub Norico, id est sub Carinthia & Tyroli, quæ omnium consensu sunt in antiquo Norico. Et hoc ipsum dicit Ptolomæus. *Inter Italiam verò sub Norico Pannoniæ iterum civitas Emona.* Tu verò velles eam habere intra Ita-

Ptol. l. 2.
cap. 15.

liam , & tamen civitatem Pannoniæ, invito Ptolomæo. Lege titulum citati capit is Ptolomæi, qui est *Pannoniæ superioris situs* : lege ordine civitates & Colonias , & videbis esse meras civitates Pannoniæ , quibus omnibus enumeratis cum ad extremam pervenisset , sicut revera extrema fuit à parte meridionali simul & occidentali, quodammodo in angulo inter Italiam & Noricum & Pannoniam reliquam , vicinior tamen Norico quam Italiæ , propterea scripsit *sub Norico* , ut notaret propinquitatem ad Noricum ; & addidit *Pannoniæ iterum civitas Emona*, ut omne dubium lectori tolleret de vero situ Emonæ in ipsa Pannonia. Infice etiam ejusdem Ptolomæi mappas , & ijs adjunctas insignium civitatum per singulas Provincias divisiones, & reperies Tabula V. Europæ, Urbes.

NORICI

Aredate.

Julium Carnicum

PANNONIÆ SUPERIORIS

Pœtorium

Sacarbantia

Emona.

Ubi hic verbum de Istria? ubi Vel unum nomen alicujus Urbis , vel Oppidi , vel Coloniæ in Istria? Nempè sciebat Ptolomæus Emonam nullam unquam in Istria, fuisse sed in Pañonia: Relege iterum si placet limitem occidentalem Pañoniæ: *Terminatur ab occasu monte Cetio & pro parte Carvanca.* Quis sit mons Cetius dixi superius Cap. i. Cluverius illum extendit usque Celejam , quæ novem milliaribus distat Labaco. Maginus in mappa Ptolomæi extendit illum ad usque Emonam, Moletius similiter

ad

ad ipsam Emonam scribendo per colles continuos majusculis MONS CETIUS, & hanc illi compete-re longitudinem tūm montium continuatio, tūm perseverans hodie utriusque extremi nomencla-tura persuadet. Nam sicut principium ejus pro-pè Viennam Austriae vulgo appellatur Calenberg, ita prorsus extremitas ejusdem ad ripam Savi ap-pellatur Calenberg, à quo versus Occidentem mo-dica vallis interjacet ad montem Carvancam, qui est cum Ocra continuus & disterminat Pannioniam à Norico, dictus vulgo Craingebürg, qui etiam campos Labacenses ambit Hyperlabacum usque, ipseque cum Ocra radix est Alpium Julianum, ut locorum peritis facile est coniicere, si vetustos Authores cum ipso loci situ combinent. Quod si etiam Neotericus vult sub Albano monte consti-tuere terminos Istriæ, cum tamen Japydes olim occupaverint utrumque illius latus, ut testatur Strabo, veniat ostendam illi montem Albanum non toto unius diei itinere distantem Labaco, cum interea ad ipsius Cittanovam ab Albano duo dies non suffecerint. Vanè igitur jactat à linea paral-lela quam Ptolomæus componit cum Albano monte, distare Labacum plusquam centum pas-suum millibus, quod potuit effutire, qui forte nec Labacum nec Albanum montem vidit. Repetat nunc si audet: *Pathetica equidem oritur demonstratio Ptolomæum unquam intellexisse situm Labaci titulo Æ-monie describere, non enim inter Italianam & Pannionam, sed intus & infra Pannoniae limites existit.* Hoc ipsum est quo probatur Labacum esse Æmonam, quia in-tus & infra limites Pannoniae existit, alias male nominaret Pannoniae civitatem. Quod autem di-

Strabo lib.

4.

xerit Ptolomæus inter Italiam sub Norico, non intellexit in Istria, quæ jam tunc erat Italia. Et sicut Neotericus vult Æmonam Labaco excludere, quia est in Pannonia eo quod dicatur à Ptolomæo esse inter Italiam & Pannoniam, ita non potest dicere Æmona est Cittanova, quia Cittanova est in Italia. Ostendat ergo alium locum & situm Æmonæ, qui nec sit in Italia, nec in Pannonia, & tunc nihilominus inferemus ergo Cittanova non est Æmona, sed non est opus Æmonam quærere extra Pannonię, quia ipse Ptolomæus dicit quod sit *Pannonia Civitas*. Et hic est *Pathetica demonstratio* quod nos cum Ptolomæo verum afferamus, & quod Neotericus erret. Nisi fortè se excusatum haberi velit, quod tacitè nobis consentiat, ideoque usurpet particulam affirmativam *unquam pro negativa nunquam*.

III. Sed quia advertit suam demonstrationem esse monstrosum, & contrariari verbis Ptolomæi, quærit nodum in scirpo, & ly *Pannonia Civitas* torquet ad possessionem: *sat scimus*, inquit, *casu genitivo saepe consueuisse Scriptores indicare possessionem, non situm* &c: Unde Ptolomæus Æmonam inter Italiam & fines Pannoniae statuit, & ex eo quod *Ilyricum in quo Istria nostra tunc babebatur sub Pannonia Transalpina ditione erat*, ideo adjunxit in fine: *Pannonia iterum Civitas Æmona*. Hæreo dubius Neoterice, an te nominem rudem in *Geographia*, an rudem in *Grammatica*. Vis ergo ut casus genitivus possessionem significet? ergo ubi dicit Ptolomæus *Pola Istriæ*, *Piguentum Istriæ fateri oportebit*, quod voluerit dicere: *Pola possidetur ab Istris, Piguentum possidetur ab Istris?* quis tibi non suc-

censeat, qui Geographos vis esse solic itos de locorum Dominijs, quorum munus est discernere Provincias à Provincijs, & in ijs singulorum locorum designare situm. Cur addidit Ptolomæus Emonæ gradus, si Voluit tantum possessionem indicare? deinde tam parùm tunc Āmona fuit possessa à Pannonibus, quām Pola ab Istrienis, quia utraque possidebatur à Romanis, ergo non potuit Ptolomæus innuere possessionem. Si autem volueris dicere Istriam tunc fuisse partem Pannoniæ (uti modo est pars ejus pars Carnioliae) incumbet tibi probatio ex antiquis scriptoribus, quam nisi fictam non produces. Quid verò dicis Ptolomæum floruisse ante Augusti tempora? quis hoc tibi soli revelavit, cum cœteri Scriptores contrarium sentiant? & ipse Maginus tuus, ipse inquam Maginus Ptolomæum tradit floruisse Anno Christi. 140. Et adhuc audes adstruere quod Ptolomæus ante Augusti tempora floruerit & Opera sua Cæsari dicaverit? Nomen Cæsaris sine addito prolatum hodie non sonat nisi Julium Cæfarem, cūm de antiquis est Sermo. An fortè sesqui seculo jam incinerato Cæsari dicavit Opera Ptolomæus? Quis tibi credat transferenti Āmonam in Istriam, cūm neque Principem Geographorum ejuisque Grammaticam intelligas, nec scias quo tempore floruerit, quod tamen potuisses discere ex tuo Magino, ex Suida, ex Jo. Gerardo Vossio, ex Possevino, Gefnero &c: Frustra te torques excogitando tam aliena à sensu Geographi, quia nullus unquam tibi credet, Ptolomæi verba *Pannoniae Civitas Āmona* hunc sensu habere, *Āmona quoad situm Istriæ Civitas*, *quoad possessionem Pannoniae Civitas*: Si enim hoc ve-

rum esset, de toto Ptolomæi opere dubitandum foret, & ubi dicit Ptolomæus Pola Civitas Istriæ per te sensus esset, possidetur ab Istrianis, quærendum iterum esset ubinam Pola sita sit, in Pan-nonia, vel Dalmatia, vel in Calecuth. Mitte e-juſmodi gerras, & non crede, quod possis nobis cereum nasum facere, qualem conaris facere Ptolomæo ante multa ſecula defuncto. *Verba intelligenda ſunt ſecundum propriam significationem, & communem modum loquendi.*

§. IIII.

Discutiuntur num. 6. usque ad 11.
inclusivè.

Num. 6.

NEOTERICUS. Et quod ita ſit, neque ad alium ſenſum trahere liceat intentionem au-
toris, pergamus ad inspiciendam ipsius
Quintæ Europensis Tabule Mappam, ejus-
dem Ptolomæi Chorographico ſtylo delineatam. Quæ pro-
feſtò nobis ad oculos ponit ſupra Iſtriam montes, qui ad
Albanum per lineam parallelam tendunt, & extra eam
lineam citra montes in Iſtria planite ad Mare inter Ter-
gestum & Alvonam Emonam poſitam. Inſuper ultra
diftam montium lineam nullam eſſe Æmonam, aut conſimili
vocabulo oppidum. Non ergo Labacum Æmona eſt
Ptolomæi. Sed & aliis ineſt error in illis verbis ex-
tremis argumenti ejusdem D. Arhi-Diacomi, ubi ait: Et
eſt ſub Norico, ſeu ſub Carniola & Tyroli. Nam
ut in eadem mappa quintæ Tabule &c. 14. in deſcriptio-
ne Norici ex ipſo Ptolomæo habenuſ: Noricum termi-
natur ab Occaſu Aeno fluvio &c: poſtea ſtatutis Se-
ptentrionalibus finibus ita ſub jungitur: Ab Ortu Solis
ipſo

Num. 7.

ipso monte Cetio. A Meridie verò parte Pannoniæ superioris, quæ sub dicto est monte cuius finis maximè Occidentalis ēc: & tandem concluditur. Et quod inde est supra Istriam, eo monte qui Carvancas appellatur. *Et in fine Capituli post enumerationem Noricarum Civitatum notatur ita: Inter Italianam verò & Noricum Julium Carnicum. Quæ omnia pas-*

Num. 8.

sim perspecta atque perpensa situm Labaci excludunt à Tyroli, longinquisque differunt, quam indicare videtur illa præpositio sub: magisque distinxant situm hodierni Labaci ab eo situ ē loco, in quo per Ptolomæum Āemonia statuitur. Et primum terminum Occidentalem Norici ef-

Num. 9.

se Oenonem fluvium, cui hæret Oenipons vulgo Inſprugg, Comitatus Tyrolis Metropolis, quam multum distare a Labaco, & Tridentum, finitimasque Italæ Civitates supereminere sat scimus. Item cum meridianos Norici terminos deducat per montem Carvancas cui in mappa subest Istria nostra cum sua Āemonia, hanc sub Norico esse non Labacum noscimus. Præterea cum ab Oriente sta-

Num. 10.

tuit montem Cetium, inter quem & Ānonem fluvium, qui est ad occasum in ipsa Tabula & Mappa Ptolomæi nullus extat fluvius, profecto nec Labacum esse potest, quod perluit fluvius ejusdem nominis, seu aliis vulgo vo-

catus Vernich.

Num. 11.

Nec ultra licet extendere Noricum. A meridie enim illius inter Italianam positum est Julium Carnicum non Carniola, quæ est pars Pannoniæ, qnam probavimus jam ad Ortum esse Norici. Noricum ergo inter vindelicam aut Tyrolum cum sit, non exhibet situm Labaco, ut sub Tyroli sit.

II. *ARCHI-DIACONUS.* Hæc sunt verba ajebat vulpes cum chartam conscriptam innumerat: verba sunt multa, substantiæ nihil.

Per-

Pergamus inquit ad inspiciendum ipsius Quintæ Europensis Tabulae Mappam Ptolomæi. Pergamus ergo; jam video Mappam Ptolomæi in tuo Magino , video Mappam Ptolomæi in suo Moletio ; video Mappam Ptolomæi in tuo Josepho Rosaccio ; video Mappam Ptolomæi in meo Nicolao Donnis , in meo Petro Freylander , in meo Cluverio , in pluribus alijs : ubi es Neoterice ? tam tardus es , aut tam hebes , ut non accedas propius ; assume perspicilia Veneta , & si simpla non sufficiunt , sume dupla, ut melius videas. Ego in omnibus istis Mappis nihil video, eorum quæ tu jactas te videre. Non fido meis oculis , ne forte ex diuturna lectione caligent. Auxiliares Speculatores evoco. Plinius , & dicit Plinius nullam prorsus se videre Æmonam ad mare inter Tergestum & Alyonam. Advoco Strabonem , Vellejum Paternulum, Justinum , Herodianum , Sozomenum , Zosimum , nullus horum dicit se videre Æmonam inter Tergestum & Alvonam ad mare. *Quod quis verbis non expressit, non videtur mente cogitasse.* C. cum ordinem Ext. de Rescript. Nescio quomodo tu videas, cum alij nihil ibi videant. Maginus exhibit Mappam Ptolomæi , in qua nec Tergestum nominat nec Alvonam , nec Æmonam intermediam , sed sub monte partim Cetio, partim Carvanca, quos conjungit , illum deducens à Septentrione ad Meridiem, hunc abOrtu in Occasum, ponit Emonam, & proximè ad Emonam Petovium, quo indicat Emonam in Pannonia sitam. Moletius paulò distinctius in fine montis Cetij ponit Emonam , & post hunc initium montis Carvancæ, & vocem Latobici , postmodum montem Albanum , & ad hujus partem

partem Occidentalem Istriam. Quod Latobici populi fuerint olim in Pannonia circa hodiernum Labacum, pridem observarunt Scriptores, Lazius, Bertius & alij, quamvis aliunde ex Itinerario Antonini ostendatur non posse abesse procul Labaco, cum Prætorium Latobicorum octo Milliaribus Germanicis olim distans fuerit ab Emona versus Sisciam, quæ citra controversiam est hodiernum Sissegk, à quo si retrorsum Labacum dinumeres millia passuum, videbis hodiernam distantiam inter Sissegk & Labacum esse eandem quæ apud Antoninum inter Sisciam & Æmonam, quod nunquam poterit verificari de Cittanova, à qua si per loca intermedia Prætorium Latovicorum & reliqua velles proficisci triplo longius iter foret, quam ponat Antoninus inter Æmonam & Sisciam. Denique inspicio mappam Ptolomæi apud Nicolaum Donnis quin & apud Rosaccium, inspicio alias recentiores nuspiam invenio Æmoniam (ut vult Neotericus) inter Tergestum & Alvonam ad mare sitam: Ut sæpius falsitatis convicto non possim credere, quod extet aliquod exemplar Tabulæ Ptolomæi, quod inter Tergestum & Alvonam collocet Æmonam. Vel male vides Neotericę, vel fraude agis. Sed etiamsi foret in aliqua mappa, non propterea delineatio aut pictura verior erit, quam ipse textus Authoris, qui clarus est, ut clarior esse non possit: *Pannoniae Civitas Æmona.* Et ea quidem *Inter Italiam sub Norico*, quod sonat vel *Inter Italiam & Noricum proximè & quasi immediatè sub Norico*, vel *Inter Italiam & Pannoniam*, respectu totius, in fine tamen *Pannoniæ ubi Noricum & Italiam*

liam attingit, qui sensus uterque verificari potest de Labaco, ut ex assignatis Norici limitibus constat, nullatenus autem potest de Cittanova. Sed remurmurat Neotericus, & ait: *sed & alius inest error in illis verbis extremis argumenti ejusdem D. Archi - Diaconi ubi ait: Et est sub Norico sive sub Carinola & Tyroli.* Quid hoc homine facias? uti vetula illa quae cum cæca esset, clamabat tenebras esse in cubiculo, & defectum suum conjiciebat in Cubiculum, ita ille dum turpissime errat, me dicit errare, & ut errasse videar, mea verba permuat. Verba mea sunt ista: *Et est sub Norico, seu sub Carinthia & Tyroli.* Ipse vero substituit vocem Carniola & Carinthia. Nega si audes Labacum esse sub Norico, nega Tyrolim & Carinthiam esse in Norico, quid ergo murmuras erratum esse, ubi tu errorem comittis, contra te adducendo ex Ptolomæo limites Norici, qui pro me faciunt?

III. Vis nempe particulam *sub* possessionem iterum denotare non situm, sicuti Supra genitivum Pannoniæ, aut certè ly *sub* accipis pro *intra*, de quo ego nunquam somniavi. Quod ego Tyrolim cum Carinthia nominaverim, feci ut ampliorem Norici partem indicarem, neque tamen asserui Labacum esse immediatè sub Tyroli, quia scio quod mediet Carinthia, & neque sub Carinthia indivisibiliter Labacum situm est, quia ad ejus terminos Labaco sunt aliquot millaria, quos tamen terminos possum tibi monstrare ex ipsa Urbe Labacensi. Cœterum fines antiqui Norici sunt multò propinquiores Labaco, quam tuæ Cittanova. Quod ex ipso Ptolomæo ad oculum ostendo, & quæ pro te adducis, ego contra te repeto.

Verba

Verba Ptolomæi de Norici finibus sunt ista : *Ab
Ortu Solis ipso monte Cecio. A Meridie verò parte Pan-
noniae superioris, quæ sub dicto est monte, cuiusfinis maxi-
mè Occidentalis (benè nota quod sequitur, & tu omi-
fisti) habet partes 36. — 45. 20. quæ dimensio integrè
correspondet etiam Æmonæ, ut videre licet in
Tabula 5. Europæ. fine c. 15. Cetius mons pertin-
git ferè usq; Labacum, Cetius mons est terminus
Orientalis Norici ergo Labacum non potest esse
procul à termino Orientali Norici. Ad Meridiem
rursum, ait Ptolomæus est sub Norico pars Pan-
noniæ Superioris, in hac est Labacum ad finem
maximè Occidentalem, quia statim post Hyperla-
bacum terminatur vetus Pannonia, & incipit Ja-
pydia, dein Carnia. Addit Ptolomæus : *Et quod
inde est supra Istriam, eo monte qui Carvancas appella-
tur.* Quis sit mons Carvancas fusè differit Clu-
verius ; & putat eundem esse cum Carusadio &
Ocra ; quod cum his continuetur certum est, quia
etiam Albio jungitur, sed quod Noricum pertin-
get ad immediatos fines Istriæ, hoc dici non po-
test, quia certum est inter Histriam & Noricum,
quin & Pannionum intercessisse olim Japydiam &
Carniam, ita ut nuspian Istria immediate Norico
jungeretur. Quod si fortè Ptolomæi tempore Ja-
pydia jam à Romanis debellata Pannoniæ adscri-
pta fuerit utpote regio Illyrica, non recusabo ad-
mittere montem Carvancam cum Carusadio &
Albio continatum limitem fuisse inter Istriam &
Pannionam, sed non inter Istriam & Noricum in-
tercedebant tempore Ptolomæi, quamvis ætate
Strabonis viciniores fuerint Norici, Istris, quando
scilicet adhuc Nauportus erat Tauriscorum (qui*

Cluver.
Ital. ant.
lib. i. c. 19.

& ipsi Norici) Colonia, ut recte observavit Cluverius. Quis hic non videt manifestè Labacum tripli proprius accedere Noricum antiquum, quam Cittanovam? Errasti ergo Neoterice, cum me errare dixisti, qui aliud non asserui, quam quod scripsit Ptolomæus. Quæ numero 8. producis nihil faciunt ad propositum, quia de termino Occidentalí Norici nec ego sum solicitus, nec tu debes esse, quia non dico ad terminum Occidentalem Norici fuisse sitam Æmonam, sed ad terminum Orientalem cū in flexione ad Meridiem, qui situs etiamnum Labaci ostendi potest, non potest Cittanovæ. Ad num. 9. satis jam dictum est, & ut tibi ultro darem quod Noricum attigerit immediatè Istriam, quomodo tu ex Ptolomæo deduces situm Æmonæ tuæ seu Cittanovæ sub Norico, cum ferè ultra dimidium Istriæ sita sit. Certè si Tergestum fuit tempore Ptolomæi in Istria, fateri debes ultra medium Istriæ sitam Cittanovam, & consequenter non benè posse dici eam esse *sub Norico*, sed procul ultra Noricum quia ly *sub* denotat propinquitatem. Numero 10. iterum hallucinaris supponendo quod ego Emonam velim includere ipsi Norico, quod nunquam mihi incident. Et uteris lepido argumento: In tabula & mappa Ptolomæi, inter Aenonem (nos Ænum dicimus) fluvium, & Cetium montem nullus extat fluvius, ergo Labacum non potest esse Emona, utpote quam perfluit fluvius vulgo vocatus *Ver nich*. Si esset quæstio de Æmonæ situ in Norico, dicerem retorquendo argumentum: In Tabula & Mappa Istriæ Ptolomæi, in tota Istria nullus notatur fluvius, ergo Emona non est in Istria, utpote quæ

quæ est ad fluvium Quietum secundum tuam opinionem. Verum hic satis sit dicere, quod non bene calleas nomina fluviorum Carnioliae. Nullus apud nos fluvius vocatur Vernich, sed Oppidum Hyperlabacum, quod est antiquum Nauportum dicitur vulgo Vernik, quasi in principio & supremo fonte fluvij Labaci situm, qui fluvius est verus Nauportus, ut sæpè probatum. Id quod Num. 11. producis, contra te facit, si enim **Julium Carnicum** est inter **Italiā** & **Noricum**, & putas ibi terminari Noricum adhuc multò longius removes Istriam à Norico quam ego tibi ultro dederim. Deinde cum negas Carniolam esse à parte Meridionali Norici ex eo quia **Julium Carnicum** est à Meridie inter **Italiā** & **Noricum**, videris mihi similis illi tuo pæsano, qui audiens loquentes de Germania quæsivit, quam magna Civitas fit Germania: sic enim tu videris viceversa existimare quod **Julium Carnicum** sit integra Provincia, quæ totum latus Meridionale Norici occupet, cum sit tantum oppidum. Inspice iterum Mappam, & videbis notatum **Julium Carnicum** in fine Norici prope Oram montem, & à parte Orientali dicti Julij Carnici, quasi in recta linea infra montem Oram & Cetium notatam Emonam in ipsa flexione Norici ab Oriente in Meridiem. Et talis planè situs est Labaci. Nam debes admittere Noricum extensem saltem ad Celejam, quia Ptolomæus illum in Norico locat; confer jam situm Celejæ cum situ Labaci, & videbis quod Labacum respectu Celejæ sit ad Meridiem, respectu Julij Carnici ad Orientem. Concludis denique: *Noricum ergo inter Vindeliciam aut Tyrolum cum sit non exhibet situm Labaco*

Labaco, ut sub Tyroli sit. Hoc tam doctè scriptum est, ut ego non intelligam. Nam sensus inde unus elici potest quod Noricum loces inter Vindeliciam & Tyrolim (non enim Tyrolum dicimus) & hoc est falsum, quia Tyrolis est pars Norici, ergo Noricum non est inter Tyrolim & Vindeliciam. Alter sensus esse potest, quod Noricum æquè in Vindelia reponas ac in Tyroli, & hoc etiam est falsum quia Vindelia est ultra Ænum fluvium, Noricum cis Ænum.¹ Tertius sensus esse potest, quod Vindelia apud te idem sit quod Tyrolis, & hoc non minus falsum est. Deniq; quartus sensus esse potest, quem ego ex tuo contextu divino, quod cum Noricum inter Vindeliciam quæ est limes Occidentalis Norici, & montem Cetium qui est limes Orientalis Norici consistat, & intra hos duos limites comprehendatur Labacum, ideoque non possit dici esse *sub Norico*. Huic dicto simile est illud: Cum tu Episcopus non sis, non potes dici esse sub Episcopo. Vade ad Calepinum & disce ibi quid particula vel præpositio *sub* vel *subter* significet; utrum esse *sub Norico* idem sit ac esse *intra Noricum*, vel potius extra Noricum. Vade ad Geographiæ peritos, & inquire an apud Ptolomæum hæc particula sumatur pro indicando situ locorum, aut possessione Dominiorum.

Discutiuntur num. 12. & 13.

I.

NEOTERICUS. At cum quasi media in Pannonia superiori notetur quidam fluvius titulo *Labicca*, hunc *Labacum* esse non habitanter autumarem, nec tamen ex hoc sub Norico posset constitui; nimis enim sejungitur à Monte *Cetio*, à Pannonia Noricum disternante.

Num. 12.

Quod confirmat Sebastianus Munsterus in sua *Geographia* lib. 3. & Gerardus Mercator in suo *Atlante*. Ambo enim tam in *Mappis Chorographicis*, quam in *descriptionibus Regionum*, citra montem *Cetium Pannonicum* versus statuunt *Carniolam*, eamque duplicem dicunt, scilicet *Siccam* quæ *proprior est ipso monti*, & irriguam quæ *est interior in Pannonia*, magisque à *Cetio distans*, in qua *Labacum Civitatem* & *fluviu ejusdem nominis* ponunt, non *Nauportum*, neque *Aemoniam*; quam quidem uterque concordi stylo statuunt in *Istria*, cum suo *Nauperto proximo*, & ad mare *Adriaticum*, & ita *Carniolæ Siccae interpositione* sejungitur *Labacum à Norico*, ut sub eo locum nequeat habere.

Num. 13.

II. *ARCHI-DIACONUS*. Doleo quod te ipsum exponas risui virorum non dicam solum Doctorum, sed modicè etiam in historicis versatorum. Ego aliquot Mappas Pannoniæ tam veteres quam recentiores inspexi, nuspian reperi, quem tu dicas te in media observasse Pannonia *Labaccam* fluviem. Miror quod non alleges etiam civitatem *Labacum* in Indijs in Pandavorum regione circa *Bidaspum*, quam nominat Ptolomæus lib. 7. Cap. 1. Tab. X. Asiæ. quæ nomen habet magis

Ptol. lib.
7. c. 1.

magis affine Labaco. Et fictam illam suæ male
lectam Labiccam non jus esse sub Norico (sumen-
do jam magis propriè particulam *sub*) quia cum
sit media Pannonia nimis sejungitur à monte Ce-
tio ? quid si tibi ostenderem medium Pannoniæ su-
perioris multo propius esse monti Cetio , quam
tua Citta Nova , & consequenter majori jure etiam
in media Pannonia quærarendam esse Emonam ,
quam in medio Istriæ, ut potè quam disertè Ptole-
mæus scripsit Pannoniæ Civitatem sub Norico ?
Hoc ais confirmat Munsterus , & Gerardus Mer-
cator. Ergo pluris tibi est Rhapsodus Munsterus ,
quam Plinius , quam Ptolomæus ? sed quid alle-
gas Munsterum , qui quod de Istria scribit fatetur
se habere ex relatione Ludovici Vergerij Istriani ,
Cœcus Cœcum secutus. Nonne ex ipso contextu
narrationis poteras colligere quantum fidei me-
reatur Munsterus , qui cum dicit inter Tergestum
& Labacum Siccam Carniolam habitari ab Istri-
anis & Carstensibus : deinde sequenti paragrapho
Flumen S. Viti asserit esse Civitatem Istriæ cum sit
Liburniæ. Fateor quod in Mappa Istriæ quam
exhibet apponat Nauporti nomen tuo Quietο , &
adjungat vocem Emonia , sed ut dixi , id fecit pro-
ut fuerat à Vergerio tuo patriota edoctus vel de-
ceptus. De Mercatore idem sentio , quod mer-
ces suas malè in multis vendiderit, unde opus ha-
buit correctione : quare recentibus annis prodijt
novus Atlas Joannis Bleau , qui expressè Labaci
agnoscit Æmonam , & in fluvio Labaco Naupor-
tum. Quod verò annectis Carniolæ Siccae inter-
positione sejungi Labacum à Norico , ut sub eo
locum nequeat habere , ostendis te ignorantem
omni-

omnino situs Labaci & Carnioliae. Nos verò sci-
mus Labacum esse proximum Norico, & Crain-
burgum Urbem Carnioliae quatuor horarum spa-
tio distantem Labaco, aut saltem Locopolim si-
tam esse in antiquo Norico, imò & Nauportum
seu Hyperlabacum (vulgo Verchnik) fuisse quon-
dam Coloniam Tauriscorum ut scripsit Strabo,
qui Taurisci fuerunt in Norico. Et non interpo-
nitur Carniola Sicca inter Noricum & Labacum,
sed potius Labacum inter Carniolam Siccam &
Noricum quia Carniola Sicca deflectit ad partem
Meridionalem Labaci, uti omnibus nobis, qui hac
sæpè proficiscimur notissimum est. Montem
Carvancam ostendam tibi ex ipsa Urbe Labacenſi,
ad quem Labaco vix horæ spatium est: Montem
Cetium juxta superius dicta, ad ripam Savi osten-
dam tibi Labaci ex mea fenestra. Veni & vide.
Quodsi Norici limites cum Cluverio volueris de-
terminare præter Oenum & Danubium ad Saanæ
& Savi confluentes, inde versus Occidentem ad
Savi fontem, hæc omnia in nostra Carniola haud
procul Labaco videre poteris, planè sicut Cluve-
rius Mappam exhibit in suo Norico, cui tamen
ego contradico in hoc, quod limitem Meridiona-
lem ducat à confluentibus Saanæ & Savi ad fontē
Saanæ, deinde ad fontem Savi, & demum ad Nati-
foni fontes, quia arbitror à confluentibus Savi
penes ripam ejusdem Savi totum usque ad Alpes
Carnicas & quibus Savus profluit ad Noricum per-
tinuisse. Et verò simile est cum Occidentalis limes
fuerit fluvius, Septentrionalis etiam fluvius, Ori-
entalis Mons Cetius; Meridionalem fuisse etiam
fluvium, uti in pluribus alijs regionibus observa-

tum invenimus à Romanis , quia facillima hæc erat Provinciarum per fluvios distinctio. Ex quo toto discursu apparet , quam procul à tua Cittanova sejunctum fuerit Noricum , quam propè verò accesserit Labacum. Unde non est quod plus quam audacter inferas , & canas triumphum ante Victoriam : *Ita tota series argumenti corruit , probéque negati-vè convertitur.* Non ergo Labacum est Emona de qua Ptolomæus loco citato. Quia series mei argumenti per hoc crescat & roboratur. Nam ostensum est Labacum esse proximè sub Norico , & esse in Pannonia , quod adstruit Ptolomæus : *Inter Italiam sub Norico Pannoniae iterum Civitas Emona.* Hoc autem tu de tua Cittanova nec ostendisti , nec unquam ostendes.

§. VI.

Discutiuntur num. 14. & 15. Responsionis.

I.

NEOTERICUS. Ad secundum argumentum pergendo occurrit quoque notam maximæ corruptionis & eversionis Authoritatis ex Herodiano lib. 8. desumptæ. Nam pressis pluribus lineis D. Archi-Diaconus fert tantum de Emona pauciora hæc verba : Ea sita est in extrema planicie sub Alpium radicibus. Sed in qua , quæso in qua extrema planicie ? sub quibus Alpium radicibus ? Italianam aut Pannionam versus ? Audiamus Herodianum fatentem ad Italicae planitiem hujus Emonæ esse situm. Enarrata enim clade per Germaniam à Maximino illata , eundem contra Sarmatas prodijse , & coeteri quoque Historici

Num. 14.

Herod.lib.
8.

storici affirmant, cumque viator consisteret, audiuit, quæ contra se Romæ in Senatu decreta fuerant, recepitque Nuntios de novorum Cæsarum creatione, ex quibus concitatus per Pannoniam in Italiam ad Aquilejam obsiden-dam direxit iter cum exercitu suo. Quod Herodianus hisce verbis describit. Maximinus postquam ad Ita-liæ fines pervenit præmissis Speculatoribus qui explorarent, an illæ in Alpium convallibus atque densissimis Sylvis insidiæ delitescerent, ipse in planicie deductis militibus jubet armatorum acies quadrato agmine incedere, in longum porrectas potius quam confertas, ut ab ijs quamplurimum campi occuparetur. Si ergo Maximinus tergo jam verso Pannoniæ ad Italæ fines per venerat, utique § per longa Spatia Labacum pertransisse, § finitimas Regiones Pannoniæ reliquisse patet. Neque ex eo quod Labacum in aliqua planicie consistat, est illa Emonia quam Maximinus in-venit. Eam enim esse Italæ Urbem planè Herodianus affirmat, post pauca subdens: Ubi autem tota planicie servatis ritè ordinibus transmiserat ad pri-mam Italæ Urbem perventum est, quæ Emona ab incolis vocatur: ea sita est in Planicie ad Alpi-um radices. Heic Speculatores atque explora-tores exercitus narrant Maximo vacuam reli-ctam Urbem omnes incolas aufugisse. Hæc ille.. Quare nil remanet dubij quin Emonia extra fines Pan-nonicarum Alpium Civitas prima intra fines Italæ fue-rit. Nam ut in precedentibus memoravimus jam post Augusti tempora fines Italæ ad Alpium usque radices complebantur. Quos fines et si extenderemus ad cacumi-na priorum montium, neque intra Italicos terminos Laba-cum, quod post plurium Alpium juga situm est, introducere possemus.

Num. 15.

At inquit D. Archi-Diaconus : sub quibus vero radicibus intelligat colligitur ex sequentibus. Quia describit iter Maximini ex Pannonia Aquilejam, & ait : (Herodianus nempe) cumque noctem illic exegissent, statim oriente sole ad Alpes contendebant. Verum pace tanti Doctoris, & hæc inquam frivola illatio, neque ex hoc quia Labacum est ad Alpium radices, aut ex eo, quia cum sit propius Alpibus commodum ad Alpes præbeat accessum, ab Italicis finibus Æmonam extrahere valet. Plures sunt Civitates ad radices montium & Alpibus proxime, attamen non omnes sunt Æmoniae. Æmonia nostra Istriæ est in planicie, non longè à primis Alpibus. Æmonia Claudia nunc Glemona corrupto vocabulo appellata ad radices Carnicarum Alpium, & ipsa consistit. Quare ex auctoritate Herodiani simili distinctione descensum Maximini ex Alpibus decernendum putarem ; ut si per montem Carvancas, qui sub Norico cum sit iter propius Istriam versus, nostram in planicie Æmoniam nunc Civitatem novam primam obviam habuerit : si autem per Ocrum montem, qui occidentalior est Norico, & supra Julium Carnicum extenditur, Claudiam Æmoniam nunc Glemonam invenerit : utraque enim parte ad Aquilejam patet via, & quam tenuerit adhuc ex Auctoribus conjectari non licet.

II. *ARCHI-DIACONUS.* Væ mihi si tu censor fores meorum operum, nihil ex omnibus sanum audiret, cum toties vapulem allegando sincerè & candidè authoritates veterū Scriptorum. Iterum jam cum Herodianum produxi maximæ corruptionis & eversionis notam incurri. Quid rogo corruptum, quid eversum ? Preffsi, dicis, plures lineas : vis ergo ? ut tibi totum Herodianum recitem ? si allego locum, & affero quantum satis intento est,

nunquid reliqua tute videre & legere potes, quamquam illa ipsa, quæ omissa quereris contra te faciunt. Nec tu producis omnia, & tamen non dico te corruptorem & eversorem authoritatum, cum tamen corrumpere & everttere velis Plinium, Ptolomæum, & alios, qui disertissimis verbis Æmonam profitentur esse in Pannonia. Quæreris hic in qua extrema planicie, sub quibus Alpium radicibus Maximinus invenerit Æmonam? respondeo ibidem, & tuipse tibi respondes meis verbis, quin & tuis te confundis. Narras enim quod priusquam Maximinus Aquilejam contenderet, cladem intulerit Germanis, dein contra Sarmatas prodierit, demum *concitatus per Pannoniam in Italiam ad Aquilejam obsidemam direxerit iter cum exercitu suo.* Quis prudens non illicò inferet, si concitatus nuntijs de creatis novis Cæsaribus properavit in Italiam ad Aquilejam obsidemam, haud dubiè ē Sarmatia, quæ nunc Polonia est, iter capiebat Pannoniam superiorem, breviore & commodiore qua potuit via, atqui brevior & commodior omnibus alijs via erat tendere per Alpes Julias, ergo uteretur circuitu, & transiens (ut tu fateris) Labacum, pergeret per longè magis saxis vias in Istriam eamque non tantum in limitibus transiret, sed ad ejus meditullium, ac inde ad littus maris progrederetur trium quatuorve dierum circuitu, cum posset directa via per Julias Alpes per Oram & Carvancam biduo pervenire Aquilejam? Et quis unquam Cæsarum aut Ducum legitur per Pannoniam profectus in Italiam, qui tali itinere uteretur? Quod Itinerarium antiquum Romanum designat iter Petovione, vel Siscia, vel

Sirmio Aquilejam per intermedia loca Istriæ? Di-
cere potes quod ē Pannonia in Japydiam, ē Japy-
dia in Liburniam, ē Liburnia in Istriam profectus
sit, sed hoc argueret ingentem circuitum; & da-
to non concessō, quod in Liburniam divertisset,
servasset tritum & brevius iter Aquilejam, quod
ita designat Antoninus, si retrorsum legas.

*Tharsatica**Ad Titulos* m. p. xviii.*Ad Malum* m. p. xviii.*Ad Vesica* m. p. xviii.*Fonte Timaii* m. p. xii.*Aquileja* m. p. xii,

Quo itinere tota Istria à latere sinistro ad Meri-
diem intactare linquitur, ut clarè appetet ex Map-
pa quam Cluverius To. i. Italiæ ad fol. 124. accu-
ratè expressit. Et si hac via voluisset divertere ad
aliquam Civitatem Istriæ prima fortè illi occurris-
set Piguentum, & non tua Citanova ad littus ma-
ris sita, & inde remotissima. Certè nullum iter
assignare potes ē Pannonia in Italiam, aut saltem
Aquilejam, nisi vel per Liburniam quod longissi-
mum est, vel per Carniolam & Alpes Julias
quod brevissimum & commodissimum, vel per
Alpes Carnicas & Noricas quod & longius & diffi-
cilius est, vel denique per Noricum totum circum-
eundo, quod an aiiquis tentaverit, nescio. Atque
ita concludo quod Maximinus elegerit maximè
tritum, maximè commodum & brevissimum in
Italiam, quia properantes itinerum compendia
quærunt. Verū totum fundamentum tuæ falsæ
opinionis in eo consistit, quod Herodianus nomi-
net Æmonam primam Italiae Civitatem, quomodo
hic

Cluver.
Ital. Ant.
To. 1. fol.

124.

hic intelligendus sit Herodianus, supra dixi. Cæterum de eo eruditissimus Cluverius, quem laudat Petrus Lambecius Vir eruditissimus, & in Bibliotheca Cæfarea quædam altera Bibliotheca, & omnes docti qui legunt magni æstiment Cluverium, tametsi pro difficultate materiæ quam tractat, subinde nonnihil humani sit passus, ita inquam ipse de Herodiano : *Nauportum XI. millia passuum à summo Julie Alpis trajectu, & XII. ab eo millia in eadem planitiæ Colonia Hemonæ, à qua in prescripto itinere VIII. numerantur millia ad Savum amnum : Unde patet Hemonam esse eam Urbem, quæ in ripa dicti amnis vulgo nunc incolis vocatur comuni amnis vocabulo Laubach, Italæ Lubiana, Carniolæ Caput.* Huc accedit & inscriptio *vetus*, quæ heic reperta est. Quum igitur Hemonæ tam procul ultra Alpes Pannonicæ posita, Pannoniæ Urbs habeatur Plinio atque Ptolomeo, in eademque Provincia Censeatur Tacito Annal. lib. I. & Paterculo loco supra scripto Nauportum; miror ego qua ratione, vel qua limitum harum Provinciarum commutatione, Herodianus postea Hemonam adscripsit Italæ, utique quum Antonini etiam Itinerarium, cuius Author Herodiano fuit posterior Pannoniæ initium faciat ad longaticum mansionem, id est post transitum statim Julie Alpis, sed quidquid sibi voluerit Herodianus, Authoritas ejus heic contra tot alios Scriptores nulla esse potest. Hæc fundatè Cluverius. Contigerit forte Herodiano, quod etiam uno in loco Plinio accidit, ut Italæ accenseret etiam partem Pannoniæ, si-
cut Plinius Japydiam & Liburniam, imò & Alpi-
nas gentes, in quibus etiam Norici ad Danubium usque pertinentes, Italæ accenseret; quippe omnibus illis enarratis in hæc verba finit, *Hæc est Italia*

Cluver.
lib. I. Ital.
ant. c. 2.

Plin c. 19.
& c. 20.
lib. 3.

lia Dijs Sacra, hæ gentes ejus, hæc oppida popolorum. Et potuit hoc facere tam Plinius quam Herodianus eodem jure quo Istriam adscripsit Italiæ. Nam Istria ut ipse fateris prius fuit in Illyride postmodum à Romanis occupata accessit Italiæ. Cur non etiam Pannonia occupata à Romanis censeri potuisset pars Italiæ? Memineris ergo quod Istriani non sint Itali per naturam sed per privilegium, sicuti defacto media Istria est per privilegium Carniola non ex rei natura, quia incorporata Carniolæ Provinciæ, ab eodem capite gubernatur. Errori igitur Herodiani totum tuum ædificium innitur, sed quale fundamentum tale ædificium.

III. Quæ numero 15. garris, nihil sunt ad propositum, imò contra te faciunt, & propterea dissimulas objectionem meam, vel sensum Herodiani in oppositum torques. Dicebam ego quod ex sequentibus verbis Herodiani colligatur sub quibus radicibus Alpium putaverit sitam Aemonam: dicit enim Herodianus: *Cumquè noctem illuc exegissent; statim Oriente Sole ad Alpes contendebant. Tu vero audacter pronuntias pace tanti Doctoris & hæc frivola illatio.* Quod ego sim Doctor scio; autu sis, nescio, nihilominus pace tua dico, quod tua responsio sit frivola. Respondes enim 1. plures esse Civitates ad Alpium radices, non tamen omnes esse Aemonias. 2. Tuam Cittanovam Istriæ dicis esse in planicie non longè à primis Alpibus. 3. Aemoniam Claudiam esse ad radices Carnicarum Alpium. 4. Afferis Maximinum iter adornaſſe descendendo ex Alpibus per montem Carvancam Istriam versus, & in planicie tuam Civitatem novam primū obviam habuisse, vel certè si per Oram

Oram montem profectus est Claudiam Æmoniam nunc Glemonam incurrisse. Ultraquè enim parte ad Aquilejam patet iter. Hæc complures gravissimos continent errores, & falsitates. Primum tibi do, etiam si ad radices Pannonicarum Alpium per quas transisse Maximinum credibilius est, quam per illas alias, nullam sciam tam prope Civitatem sitam, è Pannoniæ parte ex qua proficiscicebatur. Secundum dico esse falsum. Licet enim tibi concederem Carvancam protensum ad Limitem Istriæ vocari posse radicem Alpium, adeoque Istria foret ad radices Alpium, falsum tamen est Cittanovam esse sub radicibus Alpium, quia est ferè ultra dimidium Istræ ad littus maris, ad quod littus etiam est Justinopolis seu Ægida longè propior Alpibus, adeoque non convenit Cittanovæ situs sub radicibus Alpium, quia ly sub denotat propinquitatem. Tertium continet duos errores, quia Æmonia Claudia sunt duæ Civitates, & commate distinguuntur hæ duæ voces apud Plinium, tu verò pro una Civitate has reputas. Æmonia verò quam Plinius cum Claudia nominat verosimilius per errorem est illo loco nominata, estque eadem cum Emona vel Æmona Pannoniæ, ut arbitrantur Ortelius & Carolus Stephanus. Do tamen tibi cum Cluverio quod illa Æmonia sit Amone (non autem Glemona) in Norico, illa tamen non vocatur Claudia, quia hæc est fortè Clausen propè Marquartstein in Norico, uti divinat Cluverius. Deinde falsum est, quod illa Æmonia, sive putes Glemonam, sive Amone, sita sit sub radicibus Alpium, sed fuit intra ipsas Alpes Carnicas vel Noricas uti constat locorum pe-

ritis, adeoque prius ad Alpes pervenitur quam vel ad Glemonam, vel ad Amone. Unde corruit tua conjectura. Quartum falsissimum est quod Maximinus descendendo ex Alpibus venerit ad tuam Cittanovam, vel etiam ad veram Æmonam, quia prius accessit Æmonam quam Alpes; vel ergo non intelligis quid Herodianus scribat, vel pressus difficultate invertis narrationem Historici, ut ex eo elicias saltem unum argumentum pro tua somniata Æmonia. Lege & relege verba Herodiani

*Herod.cit.
sup.*

Maximinus postquam ad Italæ fines pervenit præmissis exploratoribus qui specularentur an ullæ in Alpium convallibus, & densissimis Sylvis insidie delitescerent. Alpes & Sylvæ incipiunt statim post Labacum quæ nunc iter est Billichgræcium, quod erat iter terrestræ, & nunc est ad Alpes Julias duobus supra Labacum milliaribus. Quod autem dicat ad Italæ fines. Nihil tibi patrocinatur quia mons Carvancas qui tuam Istriam à Pannonia dividit etiam Labacum proximè ambit, & intelligitur non de finibus intrinsecis Italæ, sed extrinsecis, adeoque de fine & extremis locis Pannoniæ, qui fuerunt tunc Labacum & Hyperlabacum. Pergit Herodianus: Jubet armatorum aciem quadrato agmine incedere. Sc. Sed ubi totam planitiem servatis ordinibus transmiserunt. Ultima ante Alpes Pannonicas planities est ante Labacum sive per Styriam Inferiorem, sive per Carnioliam inferiorem iter adornetur. Pergit iterum Herodianus: ad Italæ Urbem per ventum est, quæ Emona à cultoribus vocatur. Ita legit & vertit ex Græco Politianus. Alij legunt ad primam Italæ Urbem, quod me non moratur, quia de hoc dixi supra, sive Herodianus erraverit, sive ejus tempore Italæ

Italiæ fuerit adscripta Emona, parum refert, ad hoc quod modo inquirimus. Pergit iterum Herodianus: *Ea sita est in extrema planicie ad Alpium radices, nimirum Hemona, ubi Speculatores atque exploratores exercitus (quos præmiserat) narrant Maximino vacuam relicam Urbem, aufugisse omnes incolas.* Haec tenus nondum Alpes accesserat Maximinus uti evidenter ex sequentibus colligitur. Cumque noctem exegissent partim intra patentes communiesque omnibus domos (nimirum Hemonæ) partim in planicie ipsa statim oriente Sole ad Alpes accesserunt. Vel ut vertit Cluverius contendebant. Paulò post sequitur in Herodiano: *Ingens transitus illac exercitum formido tenebat, metuentem summa juga teneri jam ab hoste, nullosque non obstructos exitus ad se prohibendos.* Neque is metus de nibilo erat locorum naturam contemplantibus. Postea verò quam sine ullo impedimento superatis Alpibus in Castra descenderant, lati scilicet omnes instauratis animis vitulabantur. Quæ Castra intelligat dixi supra, nempe locum vocatum *Castra*, quem Cluverius interpretatur Gmünde prope Vipacum. Tandem ait Herodianus. *Sed ubi planitem attigerunt nuntiant exploratores maximam Italiæ Urbem Aquilejam portas occlusisse.* Vide nunc Neoterice, quam perverse intelligas Herodianum, qui vis Maximum prius Alpes accessisse quam Emonam; & eam accessisse, post descensum ex Alpibus, cum accesserit ante Alpium ascensum, & descenderit superatis Alpibus non ad Emonam, sed ad *Castra*. Dicis insuper: *Si per montem Carvancas qui sub Norico cum sit iter proprius Istriam versus in planicie Emoniam nunc Civitatem novam primam ob viam habuerit.* Mons Carvancas vel idem est cum Ocra & Carufadio

sadio , vel continuatur cum illis , & quatenus est sub Norico proximus est Labaco : si ergo per Labacum & Hyperlabacum profectus est, ibi & angustias & densissimas Sylvas transire debuit ut perveniret in Istriam. Et quid fecisset in Cittanova quæ fuissest longissimè extra viam , & in triangulo si cum Nauperto (id est Hyperlabaco) & Aquileja conferatur? Certè non potuisset stolidius iter instituere ; quia idem fuissest ac si tu in Istria velles breviore via contendere Justinopoli Cittanovam , & omissò directo itinere proficiscereris Justinopoli Piguentum Piguento Parentium , inde Cittanovam. Talem enim situm habent hæc loca in Mappa Istriæ, qualem illa alia respectu Aquilejæ.

IV. Conformiter itaque ad narrationem Herodiani, usque dum Maximinus è Pannonia proficiscens Æmonam attingeret, habuit planitiem & nulla Alpium, aut densarum Sylvarum obstacula , & hoc convenit Labaco , nullatenus verò Cittanovæ , quia , si alia via , videlicet per Croatiam fuissest profectus, debuisset per Japydiam veterem transire , aut per Liburniam , utrobique offendisset meros montes & Sylvas, per longum Spatium, priusquam posset accedere Cittanovam , & præterea fuissest usus ingenti circuitu : Deinde cum discedens Æmona statim ad Alpes acceperit, hoc convenit Labaco , quia illico ex Urbe proficiscens intrasset Sylvam Labacensem quæ dicit Hyperlabacum per montem Carvancam , qui ibi est radix Alpium ; non convenit verò Cittanovæ, quam inter & Alpes intercedit Justinopolis, & plura alia loca , ac ingens spatium multorum milliarium. Præterea cum dicat Herodianus , quod superatis

Alpi-

Alpibus descenderit ad Caſtra intelligendum eſt de loco dicto *Caſtra*, quia nulla Caſtra militaria tunc ibi erant; non hostilia, quia hostes ſe continebant intra muros Aquilejæ, non Caſtra ipsius Maximini, quia non dicit locavit Caſtaa nec opus fuit locare Caſtra procul adhuc conſtituto hoſte, quod conve- nit ſitui itineris per Labacum Goritiam versus, ut norunt horum locorum periti. Quare optima ra- tione conjecturam formo de itinere Maximini, quod oppreſſis Sarmatis, ē Sarmatia ſive Polonia profectus ſit per ſuperiorem Pannoniam uſque Labacum; inde per Alpes Aquilejam hoc ordine quem veteres Romani ſervabant, uti eſt apud An- toninum in Itinerarijs:

<i>Vindebona</i>	Vienna.
<i>Aquis M. P. xxviii.</i>	Baden.
<i>Scarabantia M. P. xxi.</i>	Schapping.
<i>Sabaria M. P. xxxiv.</i>	Saruar.
<i>Arrabone M. P. xx.</i>	Eisenburg.
<i>Alicano M. P. xl.</i>	Rachelspurg.
<i>Pœto-vione M. P. xxxi.</i>	Petau.
<i>Ragandone M. P. xviii.</i>	Ragatez.
<i>Celeja M. P. xviii.</i>	Celeja.
<i>Adrante Mansio M. P. xxiv.</i>	Dranberg.
<i>Hemona M. P. xxv.</i>	Labacum.
<i>Ad Nonum M. P. ix.</i>	Billichgrätz.
<i>Longatico M. P. ix.</i>	Logatez.
<i>Summas Alpes M. P. x.</i>	Alben.
<i>Caſtra M. P. ix.</i>	Gmunde
<i>Ad Fornolis M. P. xii.</i>	- - -
<i>Ad Undecimum M. P. xii.</i>	Undecimo
<i>Aquileja M. P. xi.</i>	Aquieja.

Hoc & uſitatissimum Romanis ē Pannonia ſu-
periore
R. 3

periore in Italiam & commodissimum , & vici-nissimum iter fuit , quo etiam profectum Maxi-minum omnino reor. Apage ergo cum tuis So-mnijs Neoterice,

§. VII.

Discutiuntur num. 16. & 17. Re-sponsionis,

I.

Num. 16.

NEOTERICUS. Neque ex eo quod Strabo lib. 7. aut 8. scribat. Ocra pars humillima Alpium , aut Ptolomaeus lib. 3. c. 1. de Italiae situ notet , Ocra & Carusa-dio montibus qui sub Norico sunt , reparatur jam dejecta illatio , ergo Labacum est prima Italiae Urbs , & in planicie ubi Aemoniam Maximinus in-venit. Quin-imo cum his montibus distinetur Italia à Norico & Pannonia , oritur irrefragabilis consequentia , ergo La-bacum inter quod & Italiam consistunt hi montes non est Aemona Maximini , quæ in Italia sita est.

Num. 17.

Quid autem sit arguendum à Strabonis autoritate desumpta lib. 7. aut 8. quam tali tenore observo : Pariter è Tergesta pago Carnico , transmissio est per pro-montorium ad paludem nomine Lugeam. Ex contradictione ipsius Strabonis in se , & aliorum scriptorum circa loca ipsa descripta satis patet. Nam primo Ter-gesta cum sit ad mare , & jam ante Augusti tempora intra Italianam recensita , non esse pagum Carnicum constat. Et quia Strabo post pauca subjungit : Hæc ipsa navigatio magna ex parte per fluvios in Aquilonem ex Ter-gesta in Danubium cursum habet. Cumque certo constet Tergestæ buic Italicae ad mare in Istria nullum ad-hærere fluvium in Danubium cursum habentem , à quo quidem multum distat , non hæsitanter affirmare audeo , aut aliam

aliam Tergestam Carnicam intellexisse Strabonem , aut errorem impressoris esse ponentis Tergestam pro Segesta , quam Philippus Cluverius introduct. in univers. Geograph. lib. 4. c. 1. in Pannonia collocat. Et quoad paludem Lugeam discrepantia auctorum inter se ad versantium nullius roboris reddit argumentum. Nam Aeneas Sylvius scriptum reliquit. Nauportum hodie Labacum appellari putaverim, cuius paludem Lugeam Strabo appellat. At Carolus Stephanus in suo Dictionario auctoritate Georgij Wernheri non ad flumen Labacum , sed ad oppidulum Cirkniz illam statuit. Gerardus Mercator in Atlante non paludem , sed lacum esse dicit singulis annis messem , piscationem , & venationem exhibentem incolis Cirkniz. Quare cum de situ deque ejus forma nonum extet certa relatio incertum erit quoque opinari ex eo hodiernum Labacum sortiri posse Aemoniae titulum. Sed utique certum dicimus Labacum ipsum non esse Aemoniam Claudiam de qua Plinius cap. 23. Interim procedamus ad diluendum tertium argumentum.

II. ARCHI-DIACONUS. Cramben regeris & cantas quam cepisti cantilenam : sed apud eruditos , ac antiquitatum gnaros nihil efficis. Quid jactas dejectam illationem , cum neque attigeris ejus sensum ? Illatio mea est : Amona est sub radicibus Alpium, radices Alpium sunt ad Oram , quia Strabo illam vocat humillimam partem Alpium : Ora vero est statim post Labacum, idem cum Caranca & magis interius cum Carusadio , ergo Labacum est vetus Amona , quia eo situ Labacum defacto est. Quando & quomodo dejecisti hanc illationem ? Inanibus verbis implevisti chartam , & nihil meorum verborum hactenus dejecisti. Stat inconcussa veritas. Hi montes Italiam à Pan-

Pannonia & Norico disterminant : rectè fateris ; ergo Labacum inter quod & Italiam consistunt non est Æmona Maximini ; nego consequentiam , & negat tibi ante me Strabo, Ptolomæus , Plinius & reliqui allegati supra, qui in fine Pannoniæ sub Norico inter Italiam & Pannoniam ac Noricum Æmonam reponunt , quibus plus fidei habebunt omnes prudentes, quam uni Græco Herodiano, qui Italæ adscribendo Hemonam , egit Græca fide , licet coetera ita scripserit, ut ex illo error in voce Italia admissus facile dilui possit.

III. Contra Strabonem non est, quod amplius conqueraris, quam contra Herodianum, & plures alios , quia in materijs vastis & amplis nunquam impingere nemini hactenus scriptorum contigit. Errant etiam sæpè, qui præsentia scribunt. Sed nihil erravit Strabo Tergestum vicum Carnicum appellando, & potuit etiam dicere vicum vel pagum Japydicum , quia licet ante auctam Italiam Tergestum Istriæ accenseretur , aucta tamen per Augustum Italia mansit Formio amnis terminus Histriæ , qui prius fuerat terminus Italæ , & tunc usque ad Formionem coluerunt primò Japydes teste Plinio, cujus verba clara sunt : *Carnorum hæc regio junctaque Japydum : amnis Timavus*, castellum nobile vino Pucinum ; *Tergestinus sinus, colonia Tergeste*, ultra quam VI. millia passuum Formio amnis antiquus auctæ Italæ terminus, nunc verò Histriæ. Unde & Virgilius cecinit : *Japydis arva Timavi*. Postea verò à Romanis illa ora tributa fuit Carnis , & Formio amnis factus est limes inter Histros & Carnos, uti rectè observavit Cluverius : proinde non erravit Strabo afferens Tergestum vicum Carnicum : Neque

*Plin.lib.
3.c. 18.*

*Virgil.
Georg.
lib. 3°*

*Cluver.
lib. I. Ital.
Ant.c. 19.*

que per hoc exclusit Tergestum ab Italia cum prius fuerit adscriptum Italiæ quam reliqua Istria, uti ex Plinio didicimus *Formio antiquus autem Italiam terminus*, ergo quod erat inter Aquilejam & Formionem erat prius in Italia : nec exclusi sunt ab Italia Carni, propterea illos Ptolomæus in Tabula Italiam æquè recenset ac Istros, licet ad antiquiora tempora respiciens idem Ptolomæus Tergestum adscribit Istriæ. Tu ergo errasti Neoterice, non Strabo, qui rectè cum Plinio sensit, & quod Carnorum erat non exclusit ab Italia : tu verò putas non posse dici Italicum quod est Carnicum, quia fortè putas Carnicum idem esse quod Carnolicum ; scias quod Carni & Carnioli sint situ, lingua, moribus diversissimi : illi adhuc sunt Itali angustijs Alpium ceu carceri inclusi, nos verò Germani antiquæ inquilini Pannoniæ.

I V. Rursum verò imputas Straboni errorem alium, qui non est error, sed tu imputando gravissimè erras. Dicis enim, *Strabo post pauca subjungit* : Hæc ipsa navigatio magna ex parte per fluvios in Aquilonem ex Tergesta in Danubium cursum habet : *Cumque certò constet Tergestæ buic, Italiam ad mare in Istria nullum adhærere fluvium in Danubium cursum habentem, à quo quidem multum distat non hæsitanter affirmare audeo, &c.* quæ supra num. 17. produxi. Heu me splenis pruritu labore, sed differo adhuc risum, cum ista lego. Quando ? ubi ? quibus verbis affirmat Strabo, quod Tergesto adhæreat aliquis fluvius in Danubium cursum habens ? nunc quid bis describit navigationem seu mercium vētūram in Danubium, & nominat ipsos fluvios eorumq; indicat situm : neque tamen dicit quod

aliquis fluvius adhæreat Tergesto , sed expressè inter illos fluvios & Tergestum interponit Oram, quam alio loco vocat promontorium ? Cur non adduxisti etiam reliqua verba Strabonis ubi superiora legebas ? Vide ut te reum facias artificiosæ reticentiæ , in qua me supra malitiosè arguebas : Integra Strabonis sententia citato loco hæc est: *Post promontorium ex Aquileja condescendentibus Nauportum stadia sunt cccl. ad quam rhedæ perducuntur. Ea vero est Tauriscorum Colonia : quamquam nonnulli D. esse dicunt. Promontorium illud quædam est Alpium pars humillima , quæ ex Rhetia usque ad Japydes porriguntur. Hinc montana attollitur denuo ad Japydes regio , quam Albiam vocant. Pariter è Tergesta pago Carnico transmissio est per promontorium ad paludem nomine Lugeum. Nauperto proximus est fluvius Corcoras qui onera excipit. Hic sanè Sabon intrat, Sabusque in Drabon ingreditur : hic vero in Noaron penes Sekestam. Hinc Noarus augetur accepto Calapi , qui ex Albio monte fluens per Japydes Danubium illabitur ad Scordiscos. Hæc ipsa navigatio magna ex parte per fluvios in Aquilonem ex Tergesta in Danubium cursum habet ; Hic habes verum sensum Strabonis qui nunquam intendit dicere quod fluvius aliquis adhæreat Tergesto immediate, sed quod inde onera deferantur ad Nauportum (sic enim legendum est non Nauportum) quem tu incassum in Istria quæris , & est ipsissimum oppidum Hyperlabacum.. Quod vero hoc loco fluvium appellat Corcoram, cum alibi nominet oppidum Pamportum , & vicinum fluvium eodem nomine Pamportum, ubi etiam legendum est Nauportum , licet dicant alij quod in nomine erraverit , ego vero arbitror Strabonem hic benè scri-*

Strabo lib.
7. mibi
fol. 61..

scripsisse, sed alium fluvium nominasse, Gurcam
hodie dicimus, & vulgo Corca, cuius fontes tribus
forte milliaribus distant Hyperlabaco, & hic etiam
Savum influit sicut Nauportus seu Labacus. Me-
lius tamen scripsit supra lib. 4. in fine, ubi hæc
habet: *Ocra vero humillima proorsus Alpium pars est,*
ubi Carnis adjungitur, qua ex Aquileja onera plaustris ad
Pamportum (sic enim appellant) devehantur; Stadia
non ultra ccc. iter est. *Inde per fluvios ad Istrum usque*
vectantur, locaque huic vicina: Pamportus enim a-
mnis ex Illyrijs navigabilis defertur, intrat autem Saum,
ut facile in Segestanam Oram, & Pannoniam, & Tau-
riscos delabatur. Hæc omnia vera sunt, & verifican-
tur de fluvio Labaco, qui ex Illyrijs oritur supra
Hyperlabacum non planè quadrante milliaris Ita-
lici, & defertur in Savum uno Germanico millia-
ri infra Labacum: Savus cum Dravo in Danubium
&c: & per Oram seu promontorium quod omni-
bus notum est infra Alpes Julias plaustris & rhe-
dis adhuc hodie merces deportantur. Nihil ho-
cum potest verificari de Istra, ubi licet confinxe-
rint recentiores Nauportum fluvium, non tamen
adhuc ostenderunt Nauportum Coloniam.

V. Ex modo adductis constare poterit litera-
tis Viris qualem ariolum agat Neotericus cum non
hesitanter affirmare audet, aut aliam Tergestam Carnicam
intellexisse Strabonem, aut errorem impressoris esse ponen-
tis Tergestam pro Segeta, cum nullus unquam au-
thor alterius Tergesti meminerit, quam ejus quod
ad littus Adriatici maris situm est. Neque Sege-
sta in illo districtu locum habet, cum ipse Strabo
disertissimis verbis longissimè Segetam ab hoc si-
tu dimoveat ad Dravum usque & limites superio-
ris

ris Pannoniæ Orientales ultimamque Japydiam. Quod si fortè vult intelligere Segesten à Plinio memoratam, quæ in Carnis intercidit & cuius rude-
ra circa Goritiam rimatur Pallidius , malè argu-
mentaretur Neotericus , quia nullus etiam inde
fluvius decurrit in Savum , sed ad ista divertere
opus non erat , nisi cum pertinacia tueretur erro-
rem suum de somniatis Nauporto & Aemona in
Istria. De Lugea Palude etiam dubium movet, cu-
jus licet authores determinatum locum non assi-
gnent, ex contextu tamen Strabonis eam locant in
veteri Japydia, aut limitibus Pannoniæ ac hodier-
na Carniola. Aeneas Sylvius videtur innuere Lu-
geam paludem vocari Labacum , melius alij la-
cum Cirknicensem divinant ; ego verò potius pu-
tarem illam paludem antiquis temporibus post
Strabonis ætatem montibus obrutam per terræ-
motus qui frequentes sunt in his regionibus. Nam
extat haud procul Cirknitio locus dictus hodie
Lueg ad Lugeam alludens , in quo sub caverna
montis castrum ædificatum est , & penes id fluvi-
us navigabilis decurrit sub specubus & montibus,
penes quem ad Germanicum milliare accensis fa-
cibus ingressus patet , ut norunt incolæ omnes ,
& in Vipacum fluvium dicitur exonerari , quod
anas immissa & per Vipacum enatans com-
probavit. Vero simile est terræmotu ad invicem
concidisse montes , & illam subterraneam spe-
cum supra Lugeam paludem seu lacum fecisse ;
aut certè ex hac Specu & fluvio paludem seu
lacum Cirknicensem originem habere. Si hanc
intellexit Strabo de hac ipsa nostra regione locu-
tus est, & verum scripsit, quia etiam huc poterant
(sicut

*An. Sylv.
sup. cit.*

(sicut & Cirknitium) merces devehit Tergesto
rheatis aut plaustris pro vicinis Japydiæ civitati-
bus, quarum Metulum teste Appiano primaria
fuit. Hanc Lazius male quæsivit in monte Tra-
jano seu Dranberg qui est Adrans Antonini, pejus
Cluverius in Marcha Vindorum ubi modo est Met-
ling: nam uno vix milliari distabat Cirknitio intra
ipsum Albium montem, cujus ego vestigia tan-
dem reperi inter Laas Urbem & pagum Oblak,
tali prorsus situ qualem describit Appianus, &
defacto ab incolis vocatur pagus ille *Metule*. Hæc
ad dubium Neoterici ne amplius dubitet Strabo-
nem locutum de Tergesta ad littus Adriatici ma-
ris sita, de Lugea palude in Carniola, de Nauperto
nostro Hyperlabaci, non de alio somniato, nescio
ubi.

§. VIII.

Discutiuntur num. 18. & 19. Re-
sponsionis.

I.

NE O T E R I C U S. Et quoniam D. Ar-
chi-Diaconus illum desumit à Plinio lib. 3.
c. mihi 18. quomodo & in hoc insit deceptio
liceat præcognoscere ex eo, quod Plinius di-
cto capitulo nihil agit de Pannonia, in qua Labacum existit.
Titulus enim illius est: Venetia decima regio. Et
ejusdem capitulo initium ita proloquitur: Sequitur de-
cima regio Italiæ Adriatico mari apposita Vene-
tia. Qua cum suis oppidis ac fluminibus descripta usque
ad amnem Formionem, subdit hujus distantiam esse ab Ra-
venna 189. M. passibus antiquis auctæ Italæ terminus.
Cuius auctionis causa & doctrina non ignoratur ab ijs,

Num. 18.

qui ex Romanorum Historijs jam collegerint Romanum Rempubl. simul cum Imperio prioribus temporibus dilatasse Italæ terminos & titulos ac privilegia ad illas regiones, quas armis vel deditione infra Cisalpinam Galliam, & citra Illyricas Alpes subjugabant. Et ideo quia Plinius ætate post Augusti tempora, etiam Istria nostra sub Romana ditione jam constituta erat: Italicisque moribus ac Romano utebatur idiomate, statim subjungit: Nunc vero Istriæ ad: auctæ Italæ terminus. Et de ejus denominatione confessim reddit rationem inquiens, quam cognominatam tradunt à flumine Istro in Adriam effluentem à Danubio amne eodemque Istro. Sed paulo post hæsitare incipit, quomodo hoc extiterit, inquiens: Nullus enim ex Danubio amnis in mari Adriatico effunditur. At non dubitat de facto, sed de modo, neque retrahat descensum Argo navis in Adriaticum, licet dicat: deceptos credo. Nam & reaffirmat idem cum subdit: quoniam Argo navis flumine in mare Adriaticum descendit nec procul à Tergesta, nec jam constat quo flumine. Tandem aptat relationem communi sensui præcedentium scriptorum, cum ait: Humeris travectam diligentiores tradunt. Et distinguens iter ad priores redit terminos, cum ait: subiisse autem Istro, dein Sao, dein Nauperto, cui nomen ex ea causa est inter Æmonam Alpesque exorientem. Quibus equidem verbis constanter ostendit Argona-vim Nauperto Istriæ consedisse, quia, qui verè navium portus est: Argonautæque ex Istro proficiscentes nomen Istriæ dedisse. Nauportumque non procul esse à Tergesta affirmat: amnemque Istriæ inter Æmonam & Alpes exorientem, sicuti abhuc cernitur. Quamvis deceptos dubitet, humeris travettam affirmantes. Concedatur igitur Argona-vim subiisse Istro, dein Savo, non attamen ex Plinio

nio habetur consedisse fluviolo Labaci, qui non Navium, sed minorum Scaphalarum, & Cymbarum penè portus est: sed aut bumeris aut alio modo, Nauperto Istriæ fuisse travectam, non procul à Tergeste, & in Adriaticum effluente, quæ conditiones hanc Labaco convenient.

II. ARCHI-DIACONUS. Deceptiones quas mihi imponis tuas esse intelliget, qui hæc leget. Nam primo vis cogere Plinium ut ex una Emona duas faciat, quod nec Plinius somniavit, nec ullus alias author scripsit. Bis nominat Emonam Plinius semel cap. 18. altera vice c. 25. ejusdem libri, quid si decies nominasset, nunquid tu concluderes fuisse decem Emonas? Quod vero una eademque Emona sit de qua in duobus praeditis locis mentionem facit supponunt omnes docti, & periti Geographiæ, uti videre potes apud Cluverium, Lazio & alios. Quid ergo hic deceptionis reperisti? Tu vis decipere, qui violenta interpretatione verborum Plinij vis in Istriam trahere Emonam, quam Plinius Pannoniæ civitatem appellat eique consentiens Ptolomæus. Imò hac non contentus etiam Nauportum illuc cogis & doces retrogradum fluxum & influxum in mare, quod nuspiam ullus authorum afferuit. Dicis autem i. quod Plinius dicto cap. 18. nihil agat de Pannonia, sed tantum de Venetia; si tantum agit de Venetia, ergo etiam nihil de Istria, quomodo ergo ex illo cap: Plinij vis elicere quod loquatur de Cittanova & eam intelligat per vocem Emona? si autem incidenter agit de alia aliqua regione, vel regionis oppido aut civitate, aut fluvio quomodo tam audacter pronuntias quod nihil agat de Pannonia? An ignoras quod Savus sit in Pannonia, quod

quod Danubius sit in Pannonia ? & tamen hos duos fluvios nominat in prædicto cap. 18. ergò falsum est quod nihil ibi agat Plinius de Pannonia. Licet enim series narrationis sit de Venetia , nihilominus ex occasione tanquam de conterminis regionibus agit de Carnis , de Japydia , de Istria ; & hujus nominis occasione de fluvijs Pannoniæ , ut legenti patet.

III. Dicis 2. *Non retractat Plinius descensum Argonavis in Adriaticum licet dicat deceptos credo , nam et reaffirmat idem.* Ego verò dico quod retractet , quia dicit falsum esse quod Ister seu Danubius in mare influat , aut aliquis alias ex Danubio amnis : Deinde addit *deceptos credo , quoniam Argo navis flumine in mare Adriaticum descendit , nec jam constat quo flumine.* Quasi diceret , decepti sunt , quia arbitrabantur quod Argo navis aliquo flumine in mare descenderit , nec constat quo flumine illam putaverint descendisse. Et hic tangit opinionem eorum qui putabant flumine aliquo eam descendisse in mare idque non procul Tergeste. Sed demus quod absolutè ipse met affirmet , quod Argo navis in mare per aliquod flumen descenderit , tamen absolutè etiam ait neque se scire , neque alios quo flumine. Pergit Plinius & promitt meliorem opinionem , cum dicit *Humeris travectam Alpes diligentiores tradunt.* Quò travectam ? tu dicis ad flumen Quietum , sed de hoc nescit Plinius , verum supponit travectam Alpes usquè ad mare , prout diligentiores alij scriptores tradiderunt , quos legit Plinius , & inter hos diligentiores , fuit unus Trogus Pompejus qui floruit ante natum Christum ut observat Vossius. Hunc Plinius multoties allegat & vocat

vocat severissimum authorem. Hic ergo à Justino in compendium contractus ita sensit de navigatione Jasonis, & eum persequentium Colchorum: *Istro-rum gentem fama est originem à Colchis ducere, missis ab Aæta rege ad Argonautas raptioresque filiae persequendos: qui ut à ponto intrauerunt Istrum, atque Sarvi fluminis penitus in-vedti, vestigia Argonautarum insequentes, na- ves suas humeris per juga montium usque ad littus Adria-tici maris transtulerunt: cognito quod Argonautæ idem propter magnitudinem navis, priores fecissent.* Ecce na- ves humeris transtulisse narrantur usque ad maris littus. Idem scripserint alij antiquiores Plinio, à quibus eandem narrationem desumpsit Zosimus, ubi ait: *Ajunt Argonautas quum eos Aæta persequere- tur ad Istri appulisse ostia, quibus in Pontum sese effundit: recteque facturos se existimasse, si adverso flumine subve- berentur, ac tantisper in eo remigijs & secundi venti adju- mento navigarent, donec ad mare propius accessissent. Quum igitur id consilium fuissent exsequuti, jamque ad bunc locum per-venissent, ipsa structura Oppidi in memo- riam ad-ventus sui in istas oras relata, & Argo machinis imposta, perque stadiorum cccc. spatium usque ad ma- re pertrada Thessalorum littoribus adpulerunt; sicuti Pi-sander Poëta memoriae prodidit.* Præmiserat de He-mona ea occasione constructa ab Argonautis, quando? antequam navem Argo machinis im- positam veherent usque ad mare. Sensus proinde verborum supra relatorum Plinij hic est: Argo navim humeris per Alpes travectam usque ad ma- re diligentiores tradunt. Et hoc fatetur Neoteri- cus nolens volens cum ait de Plinio: *aptat relatio- nem communi sensui precedentium Scriptorum, sed malè adjungit: Et distinguens iter ad priores redit terminos,*

Zosim. lib.
5.

cum ait : subiisse autem Istro &c : quibus eisdem verbis
 constanter ostendit Argonautum Nauportu Istriæ conse-
 disse , qui verè navium portus est &c : Nauportumque
 non procul esse à Tergesta affirmat. Hæc omnia sunt
 falsissima. Ubi enim dicit Nauportum esse in Istriâ
 ubi dicit in Istriâ consedisse ? ubi dicit quod Qui-
 tus sit verè navium portus , ubi nonnisi pauculi
 Piscatores morantur ? ubi Nauportum non procul
 esse à Tergesta affirmat : Falsa sunt ista & è tuo ce-
 rebro nata , quod cum non sit Jovis sed bovis non
 generat Palladem. Si latinè intelligis & Gram-
 maticam calles, dic mihi à quo verbo regantur ab-
 lativi Istro, Savo, Nauportu , in prædicta sententia
 Plinij? Utique fateri debebis à verbo subeo *subiisse*,
 ergo eundem sensum omnes hi tres ablativi ha-
 bent , & licet eos referre ad idem verbum ac di-
 cere: *Subiit Istro, subiit Savo, subiit Nauporto.* Hoc
 non potes negare. Quomodo ergo intelligis *ly*
subiit Istro, subiit Savo? pro ascendit ; & *ly subiit*
Nauporto vis idem esse ac consedit Nauporto, imò
 quod deterius est in sensu contrario accipis , pro
 descendit Nauporto. Nimirum hoc tuo genio arri-
 det, ut Æmonam & Nauportum violenter in Istri-
 am protrudas per ipsum Plinium qui inde utrum-
 que excludit. Plinius didicit ab antiquioribus di-
 ligentioribus quod Argonautæ *Adverso flumine sub-
 veberentur*, ideo usus est voce *subiit*, pro ascendit,
 id enim hoc loco sonat hæc vox , quod vel ex E-
 vangelio potuisses discere *subiit ergo in montem &c:*
 Et quia sicuti Savus influit in Istrum , ita in Sa-
 vum influit Labacus, quis sanæ mentis non dicit
 Jasone navigasse adverso flumine ex Istro in Sa-
 vum , ex Savo in Labacum usque ad ejus ferè
 fontem

fontem, aut saltem locum illum ultra quem amplius navigari non potest , & ibi Argonavim tenuisse portum , unde dictus est locus Nauportus. Inter meros nautas versaris, & nondum scis quæ naves dicantur tenere portum , advenientes vel abeuntes : ego puto quod illæ dicantur tenere portū, quæ à navigatione subsistunt, & aliunde adveniunt, non illæ quæ littori primum imponuntur & nunquam adhuc illum fluvium vel illud mare tentarunt , sicut tu vis dicere Quietum tuum vocatum Nauportum , quia Argo Navis translata per Alpes illi imposita fuit ut deflueret in mare.

IV. Dicis. 3. Quietum tuum Istriæ fluvium (vel potius ut ajunt qui viderunt Paludem seu rivulum modicum facile transvadabilem) oriri inter Æmonam & Alpes. An putas quod nullus nostrum sciat fontem Quietis Alpes, Origo Quietis & tua Cittanova fere triangulū formant, & tu audes dicere quod inter Cittanovam & Alpes exoriatur? Origo Labaci fluvij respectu Alpiū & Labaci Civitatis est ferè in linea recta. Dicis 4. quod Plinius *deceptos dubitet humeris travectam affirmantes*, nempe Argo navim. Falsum est, vel nescis quid loquaris aut scribas, vel Plinium nō intelligis. Plinius (ut ex contextu elicitur) credit deceptos illos qui affirmarunt Istrum fluviū per Istriam in mare defluere, non autem credit vel dubitat deceptos qui affirmant humeris travectā. Imò hæc est ejus sententia authoritatibus roborata quamvis authores non nominet. Nam dicit *Humeris travectam diligentiores tradunt*, nimirum per Alpes, & subjungit ea occasione quomodo ad Alpes usque pervenerit, nimirum adverso flumine subeundo Istrum, dein Savum , dein Nauportum quod nulli

alteri fluvio potest convenire nisi Labaco. Et mi-
rum quantum fallaris, si elicere vis ex verbis Pli-
nij, quod secundo Nauporto defluxerit Argona-
vis in mare, quia Plinius narrativè non assertivè
dicit quoniam *Argonavis flumine in mare Adriaticum*
descendit, nec jam constat quo flumine, si non constat
quo flumine, ergò non descendit Nauporto. Nam
si Nauporto descendisset, non affirmaret Plinius in
tuo sensu quod Argonavis subierit Nauporto, alio-
qui sibi contradiceret semel dicendo quod non
constet, postea dicendo Nauporto. Dixi in tuo
sensu, quia subire apud Plinium hoc loco sonat
ascensum, non descensum, tibi verò subire est
modo ascendere modo descendere. Manifestum
igitur est quod verbis boni Authoris violentiam
ineras, & velis insuper inter Savum & Naupor-
tum fluvium quos jungit Plinius, interponere,
Alpes montem Carusadium, Carvancam & medi-
am Istriam. Denique Labacum fluvium extenuas
quasi non Capacem navium, sed Scaphularum &
Cymbarum: Uteris vocibus quibus assuevisti in-
ter Cittanovenses, quorum Civitatula est *Piscato-*
rum, statio (consequenter frequens Cymbarum
usus) æstate vix octo vel decem familias nume-
rans teste Ughello. An tuus quietus majores na-
ves portet quam Labacus fateor me non vidisse,
qui autem viderunt narrant Quietum vix medie-
tam attingere fluvij Labaci. Et scio præterea
quod Labacus majores naves portet, quando mer-
ces ultro citroque vehit, quam sufficient ad tra-
jectum ex Istria Venetas. Ego Pyrrhano Vene-
tas ante aliquot annos cum Potestate Pyrrhanensi
rectus non habui majorem navim, quam sint no-

stræ Onerariæ. Sed hoc non est ad propositum, nisi ut tibi persuaderem quod Labacus potuerit portare Argonavim, non minus, quam portaverit Anno 1660. ingentem Machinam instar marinæ triremis elegantissimè elaboratam, & tribus velis instructam, in qua Augustissimus noster Imperator Leopoldus Labaco id est vera Æmona Hyperlabacum id est verum Nauportum per fluvium Labacum qui est antiquus Nauportus vectus est, cum hæreditarias Provincias lustraret. Et vix credo quod unquam ab Orbe condito tales navem Quietus portaverit, aut portare possit. Noli ergo calumniari quod nescis.

§. IX.

Discutiuntur num. 20. usque ad 23.
inclusivè.

I.

NEOTERICUS. Nec insulsa erit ponderatio, quod sicut ex Istro procedentes Argonautæ nomen Istriæ dederunt, ita forsan ex ostio Labaci, ad quem Savum pertingere dicunt, nostro Nauperto Labaci titulum tribuerint. Nam à nonnullis Scriptoribus comperitur, & hunc ita denominatum uti Leandro, Magino, & Volterrano, qui Plinius verba resumens inquit: Nauperto nomen ex causa est inter Æmonam Alpesque exorienti. Hanc quidem Æmoniam nunc Civitatem novam putant, propè quam sunt Ostica Nauporti fluminis, nunc Labaci, in quem ex Alpibus Julijs descendenter Plinius dicit Argonavim esse demissam.

Num. 20.

Nec elevetur hic aliqua illatio pro Labaco Carniolie

tie Pannonicæ, ex eo quod Volaterranus denominet Alpes Julias, quas eidem vicinas profert secundum argumentum. Quia sat scimus ex Tacito, Ammiano Marcellino, antiquis; & ex Leandro, Stephano, alijsque recentioribus has Alpes Julias esse eas, quæ supra Italiam supraque forum Julianum, & Istriam ad Dalmatiam tendunt, & has regiones à Pannonia & à Carniola in qua Labacum est distinguitant. Unde Navem à Savo procedentem, non potuisse ab ijs Alpibus habere descensum, sed ascensum potius: Imò ex hoc quoque colligitur ad nostrum Nauporatum seu Labacum propè nostram Æmoniam ex Alpibus Julijs pervenisse: Alpes enim sunt inter nos & Savum ac Istrum, non tamen inter Labacum & Istrum. Cui sententiæ sane adstipulatur Trogus Pompejus antiquissimus Historicus, ut de externis ejus Historijs refert Justinus in Epitome lib. 32. Istrorum gentem fama est &c: quæ paulo ante sup. §. 3. retulimus. Idem & Sozomenus lib. 1. c. 2. confirmat. Nam inquit: Argonautæ autem declinantes in reditu non eundem cursum tenuerunt, sed transmisso mari quod super Scythas est per flumina, quæ per ipsam partem labuntur ad Italorum pervenerunt fines, atque ibi hi Emantes Urbem condiderunt nomine Emnam. Et Higynus fab. 24. quæ ex Historijs texta diconoscitur, sic ait: Æeta ut rescivit Medeam cum Jasone profugisse navi comparata misit Absyrtum cum Satellitibus armatis ad eum prosequendum, qui cum in Adriatico mari in Istria eum prosecuti essent &c:

Num. 23.

Quid igitur clarius dici potest ad firmandum Argonavim nequissime ob longitudinem ultra Savum progredi, ac in surviolo Labaco vix ad Scaphulas excipiendas capaci consedere, cum nihil ibi immorati fuerint primi illi Heroes Argo-

*Argonautæ, Nauportum ad Adriaticum eam transvexe-
rint, & in sequentes Colchi hoc cognito idem fecerunt,
quod utique non accidisset, si primi Argonautæ in conden-
da Æmona ad Labacum flu-vium imorati fuissent.*

II. *ARCHI-DIACONUS.* Video quam verum sit illud D. Thomæ : *Pertinacia qui erant, non sunt facile curabiles.* Sed non curo te curare Neotrice, cum alijs scribam quorum affectus falsâ opinione non sunt præoccupati, ut misereantur tui, qui tam manifesta veterum scriptorum Verba tuam opinionem damnantia in pravum detorques sensum. *Non insulsa inquis erit ponderatio quod Argonautæ tuo Nauporto seu Quietò Labaci titulum tribuerint.* Planè insulfissima est, etiamsi millies toto tingatur Adriatico mari. Quid enim, etiam Labacum vis transferre in Istriam ? Nugaris, an serio ista scribis ? profecto, si quæ hic serietas est, serio deliras. Sed probas id authoritatibus Leandri, Magini, Volaterrani. *Dignum patellâ operculum;* quales authores, talis sententia. Hoc ipsum est quod ego toties ingero: Recentiores præsertim locorum ignari, & tuæ fortis ac nationis homines de Pannonia & alijs remotis partibus judicare non possunt, quia fortè extra Istriam alium mundum esse non credunt. Profer vel unum antiquum Scriptorem, qui usus est voce Labacum vel Labacus, & dixit Cittanovam esse Labacum, Quietum esse Labacum, & credimus tibi. Ostende hoc in Togo, in Justino, in Plinio, in Ptolomæo, in Strabone, in Soszomeno, in Zosimo, in Tacito, in Vellejo, in alijs. Hic tibi hæret aqua. Putas nos Germanos tam simplices esse, ut omnibus verbis Leandri, omnibus verbis Magini, & Volaterrani, qui Germaniam nunquam

D. Tho.
Met apb.
11. lib. 6.
text. 1.

*Gen. Jo.
Voss. de
Script.
Labac.*

quam viderunt, quæ de Germania scripserunt, si-
dem habeamus? Leander tuus Dominicanus, li-
brum scripsit Anno circiter 1550. de Italia, in quo
opere ut testatur Vossius ipse dolet, quod passus sit si-
bi imponi ab *Annio Viterbiensi*, adeò multa ex ejus nugis
infercit commentarijs. Quis dubitet quin etiam pa-
sus sit sibi imponi ab alijs suæ ætatis, imò ipsi-
met Istrianis, qui jam tunc velut veritatis oracu-
lum jactabant suum Quietum esse Nauportum,
suam Cittanovam esse Æmonam, non consulens
ea de re Scriptores antiquos. Maginum etiam
allegas? Maginus fuit Patavinus, scripsitque Com-
mentarios in Ptolomæum, quos non rejicio, sed
dico illum in nominum antiquorum interpreta-
tione turpissimos errores commisisse, etiam con-
tra Geographiam, in descriptione Pannoniæ Su-
perioris cap. 15. Ptolomæi, ubi Ptolomæus nomi-
nat Sisciam, ipse de suo addit interpretationem
Lablatum, gemino errore 1. cum omnes Sisciam a-
gnoscant in Sissegk Slavoniæ, uti ex distantijs & Iti-
nerarijs Antonini colligitur. 2. cum neque nomen
Labaci scribere sciverit pro Labaco Lablatum re-
ponens. In ipsa Italia propè tuam Istriam in re-
gione Carnorum, ubi ponit Ptolomæus: *Intimus*
sinus in quo est Tilauempti fluvij ostium, ipse interpre-
tatur *Fanaticus prius, nunc Carnarius Sinus*. Duplex
iterum error. 1. quia ponit Fanaticus pro Flanati-
cus. 2. quia Tilauemptum flumen transfert in
Liburniam cum sit in Veneta regione & Carnorum.
Nam Flanicus Sinus est in Liburnia. Parte. 2. o-
peris ubi Istriam describit, hæc habet: *Istria Plinio*
teste Japydia olim dicta fuit, Istria nunc ab Istro Princi-
pe, quem Janus tum Italæ præsidens hæc in loca misit ut
Cato

Cato censuit, denominatur, non autem ab Istro fluvio ut cum Plinio multi putarunt. Falsum est quod Istria aliquando Japydia dicta fuerit; falsum etiam quod Plinius id attestetur. Taceo reliqua. In fine illius descriptionis enumerat civitates Istriæ; ubi nec Aemoniam, nec Cittanovam nominat, sed inter fluvios Nauportum, quem ait Quietum appellari. Denique in descriptione Carnioliae, ut ostendat se esse Rhapsodium, & obvia sine discretione ex varijs convasasse, ait: *Carnioliam duplēm faciunt, alteram, quam quia aquis caret Siccam cognominant, & vulgo Undercrai, quæ tota Italici Juris est.* Erras Magine, nihil in tota Carniola Italici Juris. *Easque Urbes habet, quas Carni quondam tenuere.* Erras iterum si per Carnos intelligis veteres illos Venetiæ conterminos, sed si Carinthios intelligis, adhuc eget assertio distinctione. *In ea plura Oppida Austriae Principes possident, quæ lingua utuntur Germanica cuius celebre oppidum est Goritia ad Sontij amnis ripam situm.* Iterum erras: non plura, sed omnia in Carniola possident Austriae, & Goritia nunquam fuit in Carniola, sed specialis comitatus caput, quam possident Austriae, non tanquam Duces Carnioliae, sed tanquam Comites Goritiæ. Pergit Maginus: *Alteram Carnioliam irriguam vocant & vulgo Oberkrain, in valibus quidem sita inter Noricos & Japydicos montes.* Iterum erras Magine: non inter Japydicos & Noricos, sed infra Noricos, & partim in ipsis Japidicis montibus, qui non spectant ad Irriguam ex toto, sed ad Siccam, ubi modo Adelsperga, Laas, Cirkniz, &c. quæsitum habent in ipsa veteri Iapidia. Tot errorum gravissimorum reo fidem habeo? Omino: condono istos errores, quia quod subdit

*Magin.
mibi fol.
22. P. 2.*

verum est, & Neotericum falsarium constituit. Ait enim loco citato Maginus. In hac autem (nempè Carniola Irrigua) præter cœteros ortum dicit illustris annis Savus. Celebre Oppidum in ea est Lubiana Italice dictum, & Latinè Labacum, Germanicè autem Laubach, quod fluvio id nominis appositum est, quem olim Nauportum appellabant. Hæc Maginus: & tu Neoterice audes pro te allegare Maginum, & in testem adducere, quod somniatum Nauportum in Istria appellaverit Labacum? De qua hic regione agit? De tua Istria, an de Carniola? Vide quid tibi debeatur, aut quam fidem merearis, tam apertè falsum committens? Volaterranum præterea allegas, quod Nauportum propè Cittanovam repuerit: magnum sanè Doctorem! ruditum non eruditum, quem ait Iovius: Non multo cum sale & sine ornamento Latinæ orationis cuncta ad stricto ordine ita digessisse, ut alibi querenda legentibus indicare videatur. Floridus vero Sabinus de eodem sic sentiebat: Bona eruditorum pars ei desert mediocrem eruditionem, cum nihil quam aliena, hinc inde in sua immensa volumina transtulerit: in Græcis vertendis vel pueriliter persæpe lapsus. Hunc Romæ scripsisse constat, & de tam remota patria pauca audivisse, quæque audierat non bene intellexisse, aut combinasse manifestum est. Talibus tu authoribus uteris ad firmanda somnia phantastica; atque utinam utereris ubi verum dicunt, non ubi aperta falsa vendunt. Poteras allegare etiam Iosephum Moletium qui Anno M. D. LXII. Venetijs Commentaria in Ptolomæum scripsit paulò audacior Magino nominum interpretatione, sed etiam infelicior successu. Nam quo plura vocabula interpretatur, hoc plures com-

Jov. ap.
Voss. de
Hist. Lat.
lib. 3.
Flor. Sa-
bin. Apol.
Cont. LL.
column.

committit errores. In tabula Ptolomæi de Pannonia superiori. Hæc habet in una eademque pagina. *Novidunum Laybach : Siscia Lablatum, Lublana*, quasi verò Laybach, Labacum (non enim Lablatum) & Lublana diversa loca forent. In tabula Italiæ cum recenset Civitates Istriæ ponit *Piguentum Piguento, Alvum Albona*, & antea in tabula Illyridis posuit *Alvona Albona vulgo* sed erravit in Alvo, ex quo tu & tui similes formastis Æmo & demum Æmonia. Verum hunc non allegasti, quia nuspian meminit Nauporti, & Emonam Ptolomæi in Pannonia nominat *Clemonam nunc*, etiam per errorem, quia ubi nunc Clemona est, ibi nunquam fuit Pannonia. Hæc pluscula sunt, sed necessaria erant ut tibi inculcarem ; quamvis frustra, quia immergis te in majores absurditates, quas mox producam. Interim vide quam *insulsa* sit tua *ponderatio* quod Quietus Istriæ nominetur & Nauportus & Labacus.

III. Ea quæ num. 21. garris Oedipo indgent, quia tu Sphingem agis. Quantum tamen ex præcedentibus possum divinare, ita argumentaris. Alpes Juliæ disterminant Forum Julium, Istriam, & Dalmatiam à Pannonia in qua est Labacum, ergo navis Argo à Savo procedens non potuit habere descensum ab Alpibus sed ascensum ad Alpes. Nunquid hæc tua est mens : Et infers ulterius : *Imò ex hoc quoque colligitur ad nostrum Nauportum seu Labacum propè nostram Æmoniam ex Alpibus Julijs pervenisse.* Alpes enim sunt inter nos & Savum ac Istrum, non tamen inter Labacum & Istrum. Baculus in angulo. Argumentaris ex verbis supra relatis Plinij : quasi dices. Plinius affirmat

quod Argonavis in mare Adriaticum descenderit Nauperto fluvio, sed Labaco non potuit descendere verum ascendere, ergo Labacus non est Nauportus. Item : Plinius dicit inter Nauportum & Savum ac Istrum intercedere Alpes, sed inter Labacum & Savum aut Istrum non intercedunt Alpes , ergo Labacus non est Nauportus ; sumne assecutus tuam mentem ? At quis non videat hic tuam temeritatem, qui velis illudere viris doctis , & affingere Plinio , quod nuspia dixit, imò cuius contrarium asseruit ? Ubi Plinius Alpes interponit inter Nauportum & Istrum ? ubi dicit quod Argo navis Nauperto in mare descenderit ? hoc ostende ex Plinio , & eris mihi magnus Apollo. Qui legunt Plinium dicent, quod Plinius nescierit nominare flumen quo Argonavis in mare descenderit , si tamen aliquo descendit, scivit tamen nominare Nauportum : dicent , quod Plinius sciverit quibus fluminibus ascenderit Argo versus Alpes , inter quæ flumina numerat Nauportum;qua fronte igitur vis Plinium allegare , quod dicat Argo navem Nauperto descendisse in mare ? qui expressè tradit eam *subyffe* id est ascendisse Alpes versus Istro , Savo, Nauperto , & inde non ad aliquem alium flumen deportatam , sed ad ipsum mare supponit, prout ex Trog & alijs authoribus ejus mentem supra rimati sumus. Sed tuæ sententiæ vel potius fictioni adstipulatur Trogus Pompejus ? Imò Trogus tibi adversatur, qui licet post Savum non nominet Nauportum forte propter continuitatem fluviorum , disertè tamen adstruit : *Naves suas humeris per juga montium usque ad littus Adriatici maris transtulerunt.* Ergo non transtulerunt ad

ad ripam Quietii. Sozomenum etiam allegas, qui contra te pronuntiat: *Per flumina, quæ per ipsam partem labuntur ad Italorum per-venerunt fines, atque ibi hyemantes Urbem condiderunt nomine Emonam.* Ubi considerunt? quando considerunt? *ad Italorum fines,* id est fines Italiae exclusivos seu extrinsecos, qui sunt Alpes, & ibi sub Alpibus hyemantes (non sicut tu scribis hi Emantes, quasi esset populorum nomen à quo Emona dicta) sed hyemantes, id est hyeme remanentes Emonam considerunt, quod cum ante Alpium transcensum factum narretur pro Labaco facit, non pro Cittanova, ad quam ut pervenirent debebant prius Alpes transcendere.

§. X.

Discutiuntur num. 24. usque ad 27.
inclusivè.

I.

NE O T E R I C U S. Sed dicet quispiam hæc transvectio navis per Alpes fabulosa videtur. At Istri respondent: fides sit apud antiquos: nobis sat est scire traditionem Scriptorum patentium ex Istro Argonautas & Colchos ad maris Adriatici littus usque pervenisse, & ex hoc regioni nostræ nomen Istriæ attribuisse: atque Nauportum nunc Quietum Emoniam excitasse.

Num. 24.

Nisi cum modernis non aspernenda auctoritatis Scriptoribus dicere velimus: Metaphoricè antiquis etiam Historicis usitatum morem scribendi: ut ex his in hac transvectione navium intelligatur pretium Navis, & Sarcinarum ejusdem, rerumque omnium quibus ad iter sibi opus fuerit translatio.

Num. 25.

Num. 26.

Hinc D. Archi-Diaconus transit ad aliam Æmonam de quo Plinius c. 25. putans hanc eandem esse de qua idem auctor agit supra cap. 18. & conatur & hanc suo tribuere Labacò, ex illis verbis capiens argumentum: Ad Septentriones Pannonia vergit, finiturque Danubio. In ea Coloniæ Mona Siscia. Sed pace tanti viri, ipsum longè aberrare dignoscitur ex titulo, & contentis in eodem capitulo, quo Plinium non Pannonia sed Dalmatia Civitates describere constat. Absurdum enim planè esset talem errorem tanto authori tribuere, ut in precedenti speciali Capitulo de Pannonia oblitis & derelictis Pannonicis Civitatibus & Colonijs, sermo de illis in alieno Capitulo de di-versa regione differente transferret: Verus igitur sensus Plinij loco citato est ita intelligendus, ut statuto situ Dalmatiae & Illyridis ad mare Adriaticum spectante, constituatque postea Septentrionales ipsius fines, quos ad Pannoniam vergere asserit, ut & Ptolomæo places lib. 3. e. 17. postea singulari puncto, quo ab eruditis Scriptoribus prior sententia concluditur, & terminatur, ac litera majuscula, qua omnino à priori conceptu, dissimile argumentum sequi indicatur, inquit: In ea Coloniæ Mona, Siscia. Id est in ea Dalmatia, de qua tunc eo capite scribit, & non in ea Pannonia, de qua jam egit, ac de cuius terminis tunc incidenter sermo habet. Suffragaturque huic sententiae Ptolomæus loco proximè citato, & in Mappa quintæ Tabulae Europæ, quibus locis notat esse in Dalmatia Enonam, nunc Nona, quam non dubie esse eadem Mona corrupto ejus vocabulo à tempore Ptolomæi ad Plinium. Et equidem ipsum nimio errore notaret, qui asseveranter diceret, quod pro illa Mona intellexerit Labacum, dum de Dalmatia scripsit, & ab eo ultra tot Oppida, & Civitates totque Alpes fecerit ad illud, quod neque super Dalmatiam suas finitimas habet Alpes,

Num. 27.

Nam

Nam ut satis ostensum est, Labacum apud montes Cetium & Carvancas conspicitur: at Illyridis & Dalmatia sub Bebijs & Scarducis montibus existunt. Quare satis constat hodiernum Labacum non esse illas Aemoniae de quibus Plinius. cap. 18. § 25.

II. ARCHI-DIACONUS. Tantum tibi negotium facefunt Plinius & Ptolomæus, ut te in omnem partem vertas, ac susque deque omnia miscens, denique ad ultimum desperatorum remedium configias, quod est negare authorem scripsisse quod scripsit. Discernerit inter te & me quicunque Plinium & Ptolomæum inspicerit. De numeris 24. & 25. nihil dico, quia licet nonnulla ventilare possem, chartæ & temporis parco. Numerus 26. & 27. pleni sunt falsitatibus. Nam 1. dicis me putare quod Aemona de qua Plinius cap. 25. mentionem facit, sit eadem cum illa de qua locutus est capite 18. Ego id non tantum puto sed certum esse credo, ac saepius supra probavi 1. quia est propè Nauportum, quem Tacitus, Vellejus, Strabo, Antoninus alijque in Pannonia locant. 2. quia Antoninus in Itinerario illam conjungit Nauporto & Savo, ut supra ostendi; cum ergo Nauportus & Savus in Pannonia sint, sequitur etiam Aemona illam de qua Plinius agit cum Nauporti & Savi meminit, in Pannonia esse. 3. quia Ptolomæus nullius alterius Emonæ meminit nisi illius quam in fine Pannoniæ locat inter Italiam & Pannoniæ sub Norico. Ergo una tantum fuit Emona vel Aemona, ut nunc taceam de Aemonia in Carnis vel Norico, siquæ unquam fuit: ergo Plinius in utroque capite agis de una eademque Aemona. Sed dicis. 2. me longè aberrare; hanc proponsi-

positionem distinguo, aberro à tuo cerebro concedo, aberro à mente Plinij, nego. Tu probas, quia cap. 25. lib. 3. Plinius non Pannoniæ sed Dalmatiæ civitates describit, & absurdum esset talem errorem illi tribuere, quod in speciali capitulo de Pannonia, oblitus Pannonicarum civitatum, in alieno capitulo de diversa regione differente, de Pannonia ejusque civitatibus tractaret. Ego habeo exemplar Plinij impressum Basileæ Anno 1539, & aliud recentius impressum Francofurti Anno 1549. quæ sibi ex toto correspondent. Et nullibi invenio specialem titulum de Pannonia, quam dicto capitulo 25. ubi sim ul ponit titulum *Pannonia, Dalmatia*. Qua fronte igitur audes jactare, quod in speciali ac diverso titulo agat de Pannonia, & solum incidenter in c. 25. ejus meminerit, cum econtra toto illo capitulo 25. agat de Pannonia, ex professo, & de Dalmatia incidenter? Neque aliud dicit ibi de Dalmatia, nisi facta mentione Alpium mitescentium hæc verba: *Quæ pars ad mare Adriaticum spectat appellatur Dalmatia & Illyricum supradictum*. Reliquus contextus totus est de Pannonia. Capitulum hoc est. *Habitantur inde (post Noricum) glandifera Pannoniæ, qua mitescentia Alpium juga per medium Illyricum à Septentrione ad Meridiē versa, molli in dextra ac leva devexitate confidunt*. Ubi hic verbum de Dalmatia? *Quæ pars ad mare Adriaticum spectat appellatur Dalmatia, & Illyricum supradictum*, de quo scilicet egit cap. 21. hic solum nominat Dalmatiam. Pergit Plinius: *Ad Septentriones Pannonia vergit*. Nota benè post vocem *supradictum* est magnum punctum, quo ut dicis omnino à priori conceputu dissimile argumentum indicatur. Ac proinde sequen-

*Plin. lib.
cit. c. 25.*

quentia non possunt referri ad Dalmatiam. *Ad Septentriones Pannonia vergit finitur inde Danubio. In ea Coloniæ Aemona, Siscia. Amnes clari & navigabiles in Danubium fluunt: Dravus è Noricis violentior; Saus ex Alpibus Carnicis placidior CXV. M. passuum intervallo. Dravus per serretes, serrapillos, Jassos Sandrizetes: Saus per Colapinos Breucosque populorum hæc capita.* Præterea Arravatos, Azali, Amantes, Belgites, Catari, Corneates, Acrauisci, Hercuniates, Latovici, Oseriates, Varciani, Mons Claudius, cujus in fronte Scordisci, in tergo Taurisci, Insula in Sao Metubarris, amnicarum maxima. Præterea amnes memorandi, Calapis in Saum influens juxta Sisciam gemino alveo insulam ibi efficiens, quæ Segestica appellatur. Alter annis Bacuntius in Saum Sirmio oppido influit, ubi Civitas Sirmiensum & Amantinorum. Inde XLV. M. passuum Taurunum, ubi Danubio miscetur Saus. Supra influunt Valdanus, Vipanus, & ipsi non ignobiles. Ecce totum capitulum 25. Plinij, & in eo omnia de Pannonia, nihil de Dalmatia, præter paucula supra relata verba, & incidenter cœteris adjuncta. Si nomina ista tibi videntur Dalmatica, inspice Ptolomæum, & leges apud illum in Tabula Pannoniæ superioris, Latobicos, Varcianos, Oseriates, Jassios populos; Colonias Sisciam, Emonam, &c. Quarum mentionem Plinius facit, ut maximè illustrium & celebrium. In Pannoniæ Inferioris tabula Amantinos, Hercuniatos, Breucos, Aravicos, Scordicos populos &c: Taurunum, Sirmium Civitates; ut modo taceam fluvios Pannoniæ notissimos ab utroque tam Ptolomæo quam Plinio relatios; Danubium, Dravum, Savum, & Colapim &c: si scis legere lege cap. 22.

Plinij cum titulo Liburnia , & ibi reperies Civitates Dalmatiæ . non cap. 25. Vide ergo , quām ego recte sentiam cum Plinio , tu verò cum asseris me longè aberrare , longissimè aberras , & à Plinij mente , & à tua ; quasi morbum contraxisses hericum , quod meis argumentis satisfacere non possis.

Ptol. lib.
2. c. 17.

III. Suffragium porrò petis à Ptolomæo allegando locum ex libro 3. c. 17. cum tamen ibi nihil agat de hoc Ptolomæus , sed lib. 2. c. 17. tractat de Ilyride & Dalmatia : Ubi inter Liburniæ civitates nominat Enonam quæ modo vocatur *Nona* , & de qua nulla nobis est quæstio . Tu tamen Nonam vis eandem esse cum Mona corrupto ejus vocabulo à tempore Ptolomæi ad Plinium . Quid a tempore Ptolomæi ad Plinium ? Ergo in tuo cerebro Plinius junior est Ptolomæo ? nescis Ptolomæum dimidio seculi posteriorem Plinio ? verum tu mappam (nescio an mappam mensalem in tridimio , vel aliam) Ptolomæi alleges , quæ licet in antiquis quibusdam exemplaribus pro Emona reponat Monam , hanc tamen non reponit , ubi est situs Enonæ seu Nonæ ; sed ubi est situs veræ Æmonæ , nimurum in fine Pannoniæ , tam in mappa , quam in tabula & cap. 15. non cap. 17. Habeo vetustum exemplar Ptolomæi impressum Anno 1482. in quo dicto cap. 15. hæc verba leguntur : *In limite Italæ sub Norico iterum Pannoniæ civitas Mona.* & cap. 17. inter Liburniæ civitates nominatur Enona minimè verò hodierno vocabulo Nona . Quod vera Emona à quibusdam etiam , maximè imperitis vocata fuerit Mona , nolim contradicere , quia credo quod Appianus eam reposuerit inter civitates Japidiæ appell-

appellando Monætium, ſicuti ab alijs nominabatur Hemonatium vel Hennomatium, quæ diverſitas in pluribus alijs Urbium nominibus obſervatur, nec propterea facit diverſam Urbem. Ex Mo- na verò facere Nona, & ex Nona Emona, nimis quantum imperitum Geographum denotat, qua- lem ſe hoc loco oſtendit Neotericus. Placet verò quod Labacum agnoscat ad montem Cetium, quem fatetur eſſe limitem Norici, cum tamen ali- bi neget Labacum eſſe ſub antiquo Norico: tam memor eſt fuorum verborum.

§. XI.

Discutitur num. 28. Responſionis.

I.

NEOTERICUS Quarto argumento *D.* Archidiaconus nititur procedere cum Antonino. Verum mihi videtur ipsum ab iſtituto & deſcripto itinere nimium ad Orientem deſte- dere. Cum ex Aquileja ciuitate ad Septentriones potius tendat Antoninus: cuius Itinerarium mihi proſpicere licet. Typis Lugdunensibus caſtigatissimis, Hæredum Simeonis Vincentij ipſiſtimis ſubſcriptis dictionibus deſcriptum.

Aquileja Ciuitas *M. P. xxxi.*

F L U V L O.

Frigido *M. P. xxxvi.*

Longatico mansio *M. P. xxii.*

Hennomacium. *M. P. xviii.*

non Hemona.

Adrante mansio *M. P. xxv.*

non Savo *viii.*

Caleja ciuitas *M. P. xxiv.*

Hic

*Hic autem primò notandum occurrit, quod illa distinctio
jam incepit & progressionis ab Arimino in illa dictione Aqui-
leja terminatur, nova quæ directio itineris instituitur non
à ciuitate Aquileja ad fluvium Frigidum, sed ut dictio
illa F L U V I O, segregata, & per se sola distincte
posita majusculis literis indicat à Fluvio ad locum
Frigido nuncupatum, dein progrediendo non La-
bacum versus quod Occidentalius in Pannonia est
dirigit iter, sed deflextit ad Septentrionem per Æ-
num fluvium, à quo aliquod Oppidum Henno-
macium denominatum autumo per Adrantem
mansionem ad Calejam civitatem quæ est in Sa-
xonia, de qua etiam Ptolomæus lib. 2. cap. II. &
Tabula 4. Europæ. Quæ Caleja nunc Wittembergum
Carolus Stephanus denominari afferit in suo
Dictionario. Quapropter discrepante computo,
& variatis titulis locorum ab incepto itinerario
non recto tramite illatio currit Labacum.*

II. *ARCHI-DIACONIUS.* Nisi hæc
Sigillo Viri Illustrissimi obsignata mihi transmissa
fuissent, non credidisse in hominem sapientem
& eruditum, qualis videri vult Neotericus, cadere
potuisse; ut in argumentorum meorum solutione
adeo extra orbitam profiliret.

Ridete mecum quidquid est cachinorum:

Neotericus iter Aquileja adornat Calejam in
Saxoniam Wittenbergam per CXXV. millia passu-
um, id est per milliaria Germania triginta & u-
num, cum sint facile cccc. M. P. id est Germanica
centum & plura. Credebam initio non admissu-
rum authoritatem Antonini, sed ultrò admittit
Itinerarium Antonini esse opus antiqui Authoris,
cujus authoritatem ut eludat ridiculam plane ad-
ducit

ducit interpretationem. Et primò quidem ait iter ab Arimino terminari in voce Aquileja; quod verò sequitur, quia majusculis est scriptum FLUVIO (licet ipse ponat FLUVIO) ait esse diversum iter à *Flu·vio* ad locum nuncupatum *Frigido*, sed quam frigidè istud promat quis non videt? Dic obsecro quis ille Fluvius, an propè Aquilejam, an prope Cittanovam? an aliquis in Saxonia? quis ille locus appellatus *Frigido*? ubi ille locus *Hennomacium*? *Deflectit* (inquit Neotericus) *ad Septentrionem per Aenum fluvium*. Unde deflectit? à quo fluvio? ab Aeno? sed Aenus fluvius distat à Saxonia & Wittembergia plus quam cc. millibus passuum, id est quinquaginta Germanicis milliaribus, si solum ab Aeni confluentibus in Danubium fiat supputatio. Quomodo ergo conveniet distantia quam Antoninus assignat praedictis locis? Secundò falsum est quod ibi in voce Aquileja Antoninus terminet iter ab Arimino, quia in eodem exemplari Antonini præmittitur Summarius computus itinerum hoc modo..

ITEM AB URBE.

Mediolano M. P. DXXVIII.

Inde Aquileja M. P. CCLXX.

Inde Sermio M. P. cccci.

Inde Nicomedia M. P. DCCCXV. &c.

Et postea speciatim enumerat loca *ab Urbe* Ariminum sub uno titulo, & rursum alia via ab Arimino Mediolanum & Aquilejam sub tertio titulo. Inde per fluvium Frigidum duobus titulis Sirmium & Nicomediam, ergo non procul Aquileja fuit fluvius Frigidus per quem Sirmium via ducebat. Hunc ego assigno fluvium Vipacum aut

certè illi proximum Chobelum sub radicibus Alpium , qui distant Aquileja M. P. xxxvi. id est novem Germanicis milliaribus , quæ ferè distantia hodie est inter Vipacum & Aquilejam. Et quod hunc fluvium intellexerit Antoninus colligitur ex sequentibus locis *Longatico mansione* M. P. xxii. id est millaria quinque & medium , quæ de facto distantia reperitur inter Fluvium Frigidum & *Logatez Carnioliae*, qui locus nomen adhuc retinet licet corruptum. *Hennomacium* dico esse Hemonam seu Æmonam corruptè scriptam , quæ Longatico distat secundum Antoninum M. P. xviii. id est quatuor & dimidio Germanico. Et hæc est distantia inter Logatez & Labacum. Inde est *Adrants* mansio in *Dranberg* , vulgo *Drajamberg* M. P. xxv. id est sex milliaribus Germanicis, quæ distantia circiter correspondet monti Dranberg, præser-tim si alias fuit traje^tus ad Savum fluvium, quam modo sit, ut supra ostendi Adrante verò *Calejam* corruptè scriptam pro *Celeja* prout in alijs exemplaribus legunt Lazijs , Bertius , Bruno , Cluverius & alij , sunt M. P. xxiv. id est Germanica millaria sex , licet breviora. Ubi observandum quod hodie Labaco Celejam computemus solum novem Germanica millaria , cum ex millibus passuum Antonini eliciantur duodecim, sed quicunque hoc iter facit fatebitur inter Podpetsch & Uraniz computari quidem unam postam , sive tria millaria , sed esse re ipsa ferè duplo majorem postam quam ex Uranez Celejam. Deinde antiqui non tenuerunt omnino illam viam , quam defacto nos ser-vamus , sed usi sunt majoribus circuitibus , adeòque etiam plura millia passuum computabant.

Ostende

Ostende Neoterice circa Ænum fluvium tale iter Aquilejam cum simili distantia , ostende ibi Longaticum, ostende Celejam. Imò ostende si potes Calejam. Dicis apud Ptolomæum. l. 2. c. 11. nominari Calejā Falsum est: Ptolomæus nominat Germaniæ civitatem Calægiā non Calejam, quæ tantum differt nomine à Caleja, quantum Enona ab Emona, & consequenter nihil te juvat hoc effugium , alteram civitatem pro altera nominando , & tam remotam, tam longè, petitam, tam affectatè quæsistam ex nominis affinitate. Cur non etiam dicis esse Calligam in Asia , Calguinam in Arabia, Calevam in Attrebatijs, quia etiam istæ sunt affines nomine Calejæ ? supputa per omnes quatuor mundi partes, horsum, istorsum, illorsum , prorsum , antrorsum, retrorsum , sursum , deorsum , dextrorsum, laeuorsum , quaquaversum ab Aquileja , & ostende mihi loca correspondentia & affinia saltem aliquot syllabis, prædictæ Antonini designationi viarum , & nuspian mihi ostendes iter Aquileia, quale tibi ego ostendo per nostrum Ligatez, Labacum , Dranberg , Celejam : Denique quod fluvius Frigidus sit unum nomen non quærendus sit lege Nicephorum vetustum scriptorem, qui recensens expeditionem Theodosij Imperatoris contra Eugenium Tyranum , ait : *Eugenius e-
quidem hac spe inescatus maximam paravit exercitum : Et
Italiæ portas, quas Romani Julius Alpes vocant, præoc-
cupatas præsidio tenuit, ut quæ per angustias unum dun-
taxat accessum præbeant Et. Fit ergo congressio circa
fluvium vocabulo Frigidum. Quod etiam Socrates,
& Author Historiæ Tripartitæ referunt ijsdem ferè
verbis. Alpes Julius negare non potes esse illas-*

per quas Labaco transitur Aquilejam, ergo intra Alpes istas locum habet fluvius Frigidus, ergo *fluvio Frigido* non sunt duo loca distincta sed unum; & illud non in Norico aut Vindelicia propè Aenum, sed non procul Aemonia, quæ corruptè in Antonini exemplari quo tu usus es, nominatur Hennomacium, cum in alijs castigatoribus legatur Aemona. Inter Aemonam autem & fluvium Frigidum ostende Longaticam mansionem alium locum, quam nostrum Logatez alludentem ad vetus nomen. Utrumque verò locum Longatico & Aemonomam ostende ab Alpibus non ultra xxiii. millia passuum distare, & si non potes hæc ostendere, corrige errorem & fatere veritatem quod Aemonæ veteris situs non sit alias quam Labaci.

III. Atque ut non tam tibi quam alijs ad oculum hanc veritatem demonstrem, ecce quadruplex Itinerarium diversum. Et primum quidem ex Tabulis antiquis Peütingeri,

<i>Aquileja</i>	<i>Aquileja</i>
<i>Ponte Sonti</i> m. p. xiv.	hodie Lisonzo.
<i>Fluvio Frigido</i> - - -	hodie Vipao.
<i>In Alpe Julia</i> m. p. xv.	Alben.
<i>Longatico</i> m. p. v.	Logatez.
<i>Nauperto</i> m. p. vi. <i>Hyperlabacum</i> seu Verchnik.	Labacum.
<i>Emona</i> m. p. xii.	Savus fluvius.
<i>Savo fluvio</i> m. p. viii.	Glogoviz.
<i>Ad Publicanos</i> m. p. xi.	Dranberg.
<i>Adrante</i> m. p. vi.	Celeja.
<i>Celeja</i> m. p. xxxvii.	Ragatez.
<i>Ragandone</i> m. p. xviii.	Petau.
<i>Petovione</i> m. p. xviii.	In hoc itinere numerantur Aquileja Petovionem, quæ

quæ Urbes adhuc hodie nomen vetus reservant, millia passuum CLI. id est Germanica milliaria circiter triginta & octo. Et totidem hodie locorum periti plerunque numerant. Et cum recentia locorum nomina, ut apparet, pleraque antiquis corrispondent, nihil amplius dubitandum restat de situ Emonæ. Quæcum ponatur inter Longatum & Savum fluvium alibi certè inquire non potest quam Labaci. Longatico Hyperlabacum computamus defacto milliare unum cum dimidio, & hoc facit millia passuum Romana vi. Hyperlabaco Labacum computamus Germanica tria, & hæc faciunt m. p. Romana xii. quæ est distantia Nauporti ab Emona. Hinc Savus fluvius proximus est ad cuius trajectum hodie non sunt planè duo milliaria; sed quia trajectus sæpius mutatur, uti & nostra ætate mutatus est, credibile est olim trajectum paulò infra hodiernum fuisse.

Alterum iter est Antonini apud Simlerum hoc ordine,

<i>Aquileja</i>	<i>Aquileja.</i>
<i>Fluvio frigido m. p. xxxvi.</i>	<i>Vipao.</i>
<i>Longatico m. p. xii.</i>	<i>Logatez.</i>
<i>Hemonia m. p. xviii.</i>	<i>Labacum.</i>
<i>Adrante m. p. xxv.</i>	<i>Dranberg.</i>
<i>Celeja m. p. xxiv.</i>	<i>Celeja.</i>
<i>Ragandone m. p. xviii.</i>	<i>Ragatez.</i>
<i>Petovione m. p. xviii.</i>	<i>Petau.</i>

Ecce iterum inter Aquilejam & Petovium millia passuum CLI. id est circiter triginta octo Germanica milliaria. Ubi observandum quod in Tabula Peutingeri error irrepserit in numerum distantiae Celejæ & Adrante, & redundare m. p.

XIII. quorum IX. deberent reponi ad fluvium Frigidum ubi est lacuna, uti ex alijs Itinerarijs colligitur. Tertium Itinerarium editionis Venetæ apud Aldum Anni 1518. cui correspondet Lugdunense ab Adversario allegatum sic ordinat iter Petovium.

Aquileja Civitas. m. p. xxxii.

FLUVIO

Frigido m. p. xxxvi.

Longatico mansio m. p. xxii.

Hennomacium m. p. xviii.

Adrante mansio m. p. xxv.

Caleja Civitas. m. p. xxiv.

Ragundone m. p. xviii.

Patavione Civitas m. p. xviii.

In hoc itinere unum X. redundat in Longatico, quia in alijs Itinerarijs solum ponuntur m. p. xii. quo prætermisso rectè iterum summarius numerus passuum Aquileja Petovium erit C. LI. seu Germanica millaria triginta & octo. Quantum Itinerarium est Hierosolymitanum apud Cluverium, nonnihil à prioribus diversum, quod supra dedi. cap. 2. §. 3. In eo etiam sicut in omnibus alijs ponitur distantia inter Longaticum & Æmonam xvi. m. p. five milliarium Germanicorum quatuor cum dimidio, planè sicuti nos hodie numeramus inter Logatez & Labacum. Apage ergo Neoterice cum somniata tua Caleja in Saxonia, qui fortè inaudisti nomen Saxoniæ, sed ejus situm prorsus videris ignorare, si tam propinquam Aquilejæ facis, ut eam inde vix triginta Germanicas milliaribus semoveas. i. Cùm Labaco ad illam Calegiam Saxoniæ (si Wittemberga est) computen-

tentur centum & plura. Premeris Argumentis & demonstrationibus ad oculum : quidquid comminiscaris, frustraneum est ; & apud prudentes ac Geographiæ peritos demereris fidem, mereris cachinnos.

§. XII.

Discutiuntur num. 29. usque ad 33.

I.

E O T E R I C U S. Sed & lapides loquentes id probare dicit quintum argumentum. At respondeatur minimè sat esse *Inscriptiones lapidum contra tot auctorum scripta*, ex quibus

Num. 29.

citra Alpes Aemoniam esse constat. Nil aliud enim antiqui & moderni lapides innuunt, nisi sepulchra Aemonium ibidem esse, omnibusque in confessu est à premissa præpositione talis tenoris. Hic sepultus est Decurio Aemoniae, non currere illationem, ergo hæc est Aemonia. Atque innumeris patet exemplis lapidum Romanorum, qui indicant regionem & patriam longinquam eorum, qui sub eis conditi sunt. Quinimò & priscis temporibus & hactenus viguit mos exprimendi patriam sepulti duntaxat, cum extra ipsam tumuletur. Sed cum in patria propria quis sepelitur, quoniam ea est nota, & communis ipsis concubibus nil de patria notatur supervacaneum arbitrantes inscribere, quod certum est, communiterque scitur & supponitur. Parentij non procul à nostra Aemonia aestate nostra extabat lapis hujusmodi inscriptionem promens.

Num. 30.

NEPTUNO DEIS Q. AUG.

T. ABIDIUS VERUS

POST. SUB. PRÆFECTUS

CLASSIS RAVENN.

Y 2

Gru-

Gruterus lib. Inscript. pag. 359. num. 13. notat esse hunc Firmi in Piceno.

T. APPEO. T. F. VEL.

A LFINIO SECUNDO. &c. &c.

C L A S S. P A E T. R A V E N N. P R. &c.

Quod si valeret illatio Labacensium Parentini Firmanique possent afferere esse antiquam Ravennam &c:

In Ecclesia terræ Insulæ in Istria extat sub Alta-re majus adhuc lapis ita inscriptus.

T. C A E S E R N I O

M A C E D O N I S L. &c:

Num. 31. At insulani non Macedones esse & in Istria non in Macedonia consistere sciuntur. &c: &c:

Et de Emona idem Gruterus Fol. 556. num. 5. licet mihi adhuc incomptum sit, ubinam eam observaverit, fert tamen sequentem.

C. P E T I L I U S

C. F. C L A.

P A U L U S

E M O N A

M I L. C O H. P R.

T. F A E C E N

Ergo locus quo sita est hujusmodi inscriptio est Fæccia: minimè quidem, sed lapides & cippi sepulchrales sunt, qui indicant Parentij & Firmis conditos Praefectos Ravennates &c: & sic de alijs.

Num. 32. Ita de primo lapide Labacensi, quem etiam Gruterus describit. Dicendum ergo: esse videlicet sepulchralem Inscriptionem à Larvia vera matre Marco Titio Decurioni Emoniæ filio suo positam.

Secundus lapis est idem sepulchralis cippus cui-

cuidam Ennio Secconi filio, atque Secco Emono statutus.

Tertius est aliud sepulchrale elogium Publij Narbonensis Publiæ Æmoniæ fœminæ inscriptum. Nam litera P. Publum vel Publiam significare ait Panuinus, & item Auctor de nominum ratione. Neque Romanis fuit unquam mos eam literam P. unicam anteponendi nominibus civitatum aut locorum, sed hominum aut fœminarum tantum.

Quarti lapidis inscriptio equidem fidem non meretur. Patet enim confictum fuisse eâ ætate, qua Labacensibus invaluit cupidus Æmoniensium titulum aucupari.

Quinti & Sexti intelligentia & fides sit apud autores, Oedipo enim indigent. *Hactenus Neotericus.*

I I. ARCHI-DIACONUS. Tam multis tam pauca, imò tam nulla attulisti Neoterice. Poteras totum Gruterum describere & tantundem lucrari, quantum simpliciter afferendo, quod nomen Civitatis inscriptum lapidi sepulchrali non arguat ibi sitam esse Civitatem ubi lapis invenitur. Et hanc propositionem, ut jacet, ultrò tibi concedo: neque unquam mea mens fuit ex hoc præcisè probare Labaci esse veram antiquam Æmonam, quia Labaci reperiuntur lapides cum nomine Æmonæ: sed hoc mihi neque tu neq; alias negare potest, quod ubi de loco aliquo controversum est, præsumptio sit potius pro illo, qui nomen Urbis in lapide antiquo potest exhibere, quam pro alio, qui id præstare non potest. Et ubi aliunde ex probis & antiquis authoribus constat

Civitatem (de qua controversia oritur) in hac vel illa regione fuisse, si præterea accedant vetusti lapides referentes illius Civitatis nomen, infallibilis sequitur conclusio, ergo hic sita fuit talis Civitas. Hoc argumentandi genere non utor ego primus. Jam olim Rhenanus, Aventinus, Lazius, Pyrckhaimerus, Peutingerus, Bertius, Cluverius sicutum majorem locorum, ut ingeniosè ita feliciter plerunque investigarunt. Cum ergò ego Labaci exhibeam in vetustis Lapidibus nomen Æmonæ, quam veteres authores in Pannonia sub Norico designant, tu econtra in tua Cittanova, nec Syllabam quidem de Æmonia in Lapidibus antiquis monstrare possis, nec ullus antiquus Æmoniam in Istria collocet, quisque prudens concludet causam meam esse meliorem, quam tuam. Quanquam, ut dixi, in lapidibus præcisè non sita, quia nomen Æmonæ etiam alibi reperio, sed ex suppositione quod Æmona sit Urbs Pannoniæ uti Plinius & Ptolomæus tradiderunt, quod sita fuerit solis octo mill. pass: à Savo fluvio, uti ex Itinerario Antonini ostendi, accendentibus inscriptionibus antiquis Labaci repertis, rectè infero: ergo Æmona vetus Labaci est. Et hanc tu mihi aut patriotis meis tam parùm ridiculis tuis argumentis extorquebis, quam parùm Clavam Herculi.

III. Porrò quænum. 32. & seqq. garris de Inscriptionibus antiquis Labacensisibus, magnam inter arguunt imperitiam rei Antiquariæ. Nam ut de prima taceam, quæ expresse Æmonam nominat: secundam interpretaris ut tibi videtur ad elusionem argumenti commodius, sed periti In-

scri-

scriptionum aliter sentient, & ubi legent in præfata Inscriptione *SECCO EMONS* dicent esse nominativum utrumque, & *Secco* nomen proprium, *Emons* verò gentile ab Emona, sicut *Picens Laurens*, à Piceno & Laurento Urbe Latij: quod tu vel ex principio dictæ Inscriptionis potuisses colligere. Ubi legebas Ennio Secconis F. & concludere quod *Secco* *Secconis* fit nomen proprium: non autem barbare scribere, uti fecisti *Secco Emono* statutum lapidem divinando. In tertio verò toto Cœlo aberras, & Tax tax mereris apud omnes Antiquarios. Quid enim litera P. solitariè posita nihil aliud significat nisi Publum vel Publiam: ubi hoc didicisti? An quidquam magis obvium & usitatum in lapidibus sepulchralibus ac illud M. P. *Monumentum posuit*. Et nunquam legisti apud antiquos P. C. quod subinde significat *Post Consulatum*, subinde *Ponendum Curavit*: subinde *Patrono Coloniae* &c: de quo consulere poteras Thesaurum Rei antiquariæ Huberti Goltzij, editum Anno 1579. apud quem litera P. solitaria significat Pater. Pontifex. Posuit. Puer. Geminata verò P. P. Pater Patriæ, & Pecuniaæ Publicæ, & Publicè posuit. Et Præses Provinciæ. Quæ cum diversa sint, divinandum ubi locum habeant. Ac proinde quam tu fœminam somnias Æmoniam in Labacensi lapide scriptam, hanc ego dico Coloniæ Æmoniam, & Inscriptionis fragmentum sic interpretor.

*Vario Tiberio. Præfidi Narbonensi
Veterani Legionis XV. . . . Venix
posuit Æmoniæ.*

Hunc

Hunc varium Tiberium vix credo obijisse Æmonæ, sed in Officio Præsidis Narbonensis, quia tamen olim Veteranum egerat Legionis XV. (quam hyberna habuisse in Pannonia Cornelius Tacitus affirmat, cum de seditione militari ad Nauportum concitata mentionem facit) & fortè Æmonæ hybernabat, hinc Venix Emonensis ei memoriam posuit Æmonæ. Quod autem Venix iste fuerit Emonensis colligitur ex alio lapide Iggij reperto, cuius initium est,

D. M.

Venix Em.

Peonis F. &c.

Sed dicit Neotericus: *Neque Romanis fuit unquam mos literam P. unicam anteponendi nominibus Civitatum, aut locorum, sed hominum aut fœminarum tantum.* Ly tantum abundè refutatum est, & notoriè falsum: quod verò P. solitarium nominibus locorum anteponatur, licet viri docti id non ignorent, & plura exempla possit legere Neotericus apud Gruterum, unico hic exemplo clare ostendo. Reperita est Anno 1502, in campo Clagenfurtensi, qui rudera habet solvensis Municipij, cuius meminit Plinius (uti præter Lazium, Megiserum, Pighium, Cluverium, recentissimè observat Vir eruditissimus Petrus Lambecius) statua ænea virilis cum parma, & duplice inscriptione, una in dextro femore his verbis:

A. POBLICIUS. D. L. ANTIOC.

TI. BARBIUS. Q. P. L. TIBER.

Altera verò in parma, quæ sic habet:

*Plin.lib.3.
cap. 24.
Laz.Com-
ment.Rei-
pub.Rom.
lib.12.sect.
6.cap.5.
Megiser
in Annal.
Carinth.
lib.3.c.9.*

M. GAL-

M. GALLICINUS. VINDILLE. L.

BARB. L. L. PHILOTERUS. P. B.

CRAXANTUS. BARBI. P. S.

Hanc posteriorem Inſcriptionem Petrus Apianus, Amantius, & Megiferus interpretantur, ſed longe melius Lambecius in hunc ſenſum.

*Marcus Gallicinus Vindillæ Libertus**Lucius Barbius Lucij Libertus Philoterus**Proculus Barbius Craxantus, Proculi Libertus**Poſuerunt Solvæ*

Plura talia paſſim occurruunt, ut obſtupescam Neoterici audaciam, quod velut ē Tripode oraculum eructet, nunquam fuſſe Romanis mo- rem anteponendi P. literam nominibus civitatum aut locorum. Muſſat ille quidem aliquid de antiquis nummis ad Cittanovam repertis, & non videtur obſervasse in illis literarum valorem, forte enim aliqua P. reperiſſet addita Civitatibus & lo- cis: faltem apud alios legiſſet P. P. H. vel. P. C. quæ Ortelio ſunt *Præſes Provinciæ Hispaniæ, & Pre- tor Ciciliæ*.

IV. Denique contra quarti lapidis Labacen- ſis Inſcriptionem murmurat Neotericus, quod fidem non mereatur. Cauſam addit: patet enim conſi- dum fuſſe ea etate, qua *Labacensibus invaluuit cupidus Aemoniensium titulum aucupari*. Fateor quod tui pa- triotæ pridem ante ſoliciti fuerint per immanem errorem aut fictionem attribuere ſibi alienum no- men Aemoniæ, quam Labacenses cogitaverint de conservando quod illis omni jure debetur. Ne- que tamen per hoc effecerunt tui Iſtriani, ut per miraculosam Metaphoram vel Nauportum fluvi- um qui eſt ſolūm Labacus, neque ullus aliud in re-

Pigb. in
Herc. Pro-
dic. Cluv:
in Norico.
Pet. Lam-
bec. Bibl.
Cæſar. lib.
z. c. 8.
Pet. Apian
Barthol.
Amant.
Syntag.
Antiq. In-
ſcriptio.

rum natura (quantum hactenus viris doctis constat) vel Emonam celebratam Urbem antiquis scriptoribus & in finibus Pannoniæ designatam, transferent in Istriam. Floret adhuc Emona nostra, & si nondum assurrexit ad primævum splendorem, magnis tamen passibus ad illum contendit indies ædificiorum amplitudine, incolarum numero crescens. Cum interea tua Cittanova, quæ nunquam fuit Emona, paulo post, nec erit Alvum, nec Silvum, nec Cittanova. Fictionem quam nobis objicis tu debes devorare: quisquis enim vel modicè in Geographis antiquis versatus contulerit tua argumenta cum meis, veritatis vi coactus exclamabit: *Emona vera Labacum est, Nauportus verus Labacus est*: Qui Nauportum & Emonam vel Emoniam transtulerunt in Istriam, fuerunt Thaumaturgi quibus nulla habenda est fides, fuerunt Scioli non scientes, qui cum legissent Colchos in Istria Polam condidisse, Jasonem ad mare Adriaticum pervenisse, navigasse per Danubium, Saum, & Nauportum; falsa imaginatione crediderunt eum in mare per suum Quietum navigasse & hunc debere dici Nauportum, ac ruderà non procul inde reperta, Emoniam aliquando fuisse somniarunt. Scioli inquam fuerunt qui primi ista excogitarunt, existimantes extra suam Istriam nullum alium superesse mundum. Si benè perpendissent aut legissent authores, & rimati fuissent vestigia veteris Emonæ, illa non in Istria sed Pannonia cum Plinio, Ptolomæo & alijs inventisset. Sed error hic immanis condonandus est rudi seculo, quo Istria non nihil à babarie cœperat respirare, tunc unus quis qui parum aliquid

Latini

Latinè intellexit, lūscus inter cœcos, putavit se videre Āemoniam, ubi nunquam fuit: & nostrates quorum intereat, ubi eam videre debuerant, neglexerunt; utpote recentes inquilini, parum de Latino nomine solliciti, cum jam substitutum fuisse Germanicum Laybach. Certè ante annum Christi millesimum non est auditum in Istria nomen Āmonæ; post hunc cœperunt usurpare Episcopi ejus loci titulum Āmoniensium, cum anteriores & in diplomatis & in historijs non nominentur nisi Civitatis Novæ, uti vel ex ipso Abbatे Ughello ostendi potest, etiamsi ipse in serie Episcoporum Anno 961. nominet Joannem Episcopum Āmonensem. Hic autem in diplomate Rodaldu Patriarchæ eodem Anno, solum nominatur Joannes Episcopus Civitatis novæ. Carolus magnus aliquot diplomata edidit, in quibus recenset Episcopatus Istriæ & alios vicinos, meminitque etiam Civitatis novæ, nunquam Āmonæ, ut licet videre apud Franciscum Palladium Utinensem. Si Cittanova tunc fuisset Āmona & solum vulgo appellata Civitas nova, Cæsares & Patriarchæ non fuissent usi vulgari & impropria nomenclatura sed propria & competenti, fuissetque Rodoaldo Patriarchæ longè facilius scribere. Joanne Episcopo Āmonensis Ecclesiæ, quod non fecit, quam Joanne Episcopo Civitatis novæ Ecclesiæ, prout legitur in diplomate. Sed de hoc alibi,

*Ughell. To.
5. Ital. sac.
mibi pag.
219. Et pag
366.*

*Pallad.
Histor.
Forim.*

§. XIII.

Discutiuntur num. 34. & 35.
Responsionis.

I.

Num. 34.

NEOTERICUS. Et tandem pro Coronide addere libet Labacum unquam fuisse Æmoniam antiquissimam Urbem, quia nec Civitatis titulo, neque Episcopali sede antiquitus decorata fuerit, nisi post decimum quartum seculum Christianum, nempe 1461. à Pio II. tunc ditioni Metropolitanæ Aquilejensis subjecta: quumque ob carentiam redditum dignitas Episcopalis nequaquam decenter posset sustineri: Paulo II. petente Friderico Imperatore sedi Apostolice immediatè submisit, suppressaque Abbatiali dignitate Osnaburgensi, hujus reatus mensæ Episcopali attribuit. In ea hactenus duodecim Prælati enumerantur ab Abbe Ughello Ital. sac. To. 5. pag. 556.

Num. 35.

Quid autem ad hujus erroris causam fuerit dicendum id putaverim, quod cum à nonnullis scriptoribus confundatur noster Nauportus in Istria, cum Labaco Pannoniae, atque ab alijs Nauporti titulum Labaco fluvio tribuatur, ut jam ex supracitatibus relatum est, præcipue Volaterrano, qui Labacum vocat Istrie nostræ Nauportum, nunc Quietum, & Ænea Sylvio ac Mercatore, qui Labacum Pannoniae appellat Nauportum, idcircò ex conformi vocabulo fluminis cum nostro Nauporto Æmonia adhaerat, & ex sibi conficta Inscriptionum intelligentia Labacum Æmoniam dixerunt. Sed hæc satis ad negationem affirmativorum argumentorum: nunc ad negativa pro Æmonia nostra affirmativa reddenda properando dicimus econtra: Quod Civitas nova ad Fluvium Nauportum, nunc

nunc Quietum in Istria sit excitata ex proxima antiqua
Æmonia. &c:

II. *ARCHI-DIACONUS.* Qualis structura, talis coronis, plena erroribus struc-
tura tua, plena erroribus Coronis, & redundans
falsis tam suppositionibus quam assertionibus. Et
primo miror te Geographica tractare & de ijs dis-
serere, qui nec Grammaticam benè calles.

*Addere libet (inquo) Labacum unquam fuisse Æ-
moniam.* Nolens volens per errorem veritatem
fateris quod aliquando Labacum fuerit Æmona.
Nam illud adverbium *unquam* in Calepino Passera-
tij idem sonat ac *ullo seu aliquo tempore, omni memoria.*

Italicè: *Alcuna Volta.* Hispanicè *Alguna Vez.*
Germanicè je vnd je / id est semper. Verum ex sen-
su colligo quod pro unquam volueris ponere
nunquam, id verò falsissimè assertum est, &
nunquam à te probatum, licet ut id probares
multa verba congefferis, multa confinxeris. Et
in hac coronide addis coronidem probationis.
Causam enim cur Labacum in tuo Cerebro nun-
quam fuerit Æmona, hanc assignas, *quia nec Civitatis titulo, nec Episoopali Sede antiquitus decorata fuit.*
Pugnus ad oculum. Metulum in nostra Carnio-
lia intra Albium montem pagus est, nec unquam
ibi fuit Episcopalis Sedes, ergo Metulum
non est atiquum Metulum, primaria Japo-
dum Civitas Appiano descripta? nego conse-
quentiam. Deinde nego suppositum quod primi
illi Emonenses Episcopi, qui ab Anno Christi circiter 300. usque ad 700. sederunt Æmonæ, fuerint
Episcopi in Istria seu Civitatis Novæ. Hoc enim
ut probes, necesse est ut prius probes Æmonam

aliquando fuisse in Istria. Illi ergo Episcopi fuerunt Emonenses. Illius *Æmonæ* vel *Emonæ*, quæ nunc *Labacum* est, uti ad oculum tibi ostendi, cum tu econtra pro tua somniata *Æmonia* nec unum solidum argumentum produxeris. Ergo *Labacum* fuit olim antiquis temporibus sicut vera *Emona*, sic vera *Civitas*, & decorata Sede Episcopali. Ut suo loco pluribus comprobabo. Cœtera quæ ex Abbate Ughello affers eadem fide facis, qua Leandrum & Volaterranum & similis farinæ authores pro te allegas, cœcus cœcos insequens. Melius fecisset Ughellus si in Italia *Sacra Labacenses* Episcopos planè omisisset quam in Italiam intrudendo nomina eorum corrumperet, quin & alia de Episcopatu ignoranter assereret. Prævidebat p. m. Otto Fridericus Episcopus *Labacensis* à quo Ughellus petebat scriptionis subsidium, id quod postea evenit, futurum ut homo *Italus nostratium* nomina vel malè legeret vel pejus imprimeret, idcirco me eodem Anno quo Ughellus Romæ suam *Italianam* edebat hortabatur tunc *Cathedralis Labacensis Decanum*, ut arrepto calamo nonnulla de Episcopatu ejusque *Præfulibus* & *Canonicis* conscriberem, quod tunc obiter cœptum in hæc tempora distuli, & porrò suo loco ostendam Ughelli errores, hic solum noto, quod pro *Abbatia Oberburgensi* malè posuerit *Osnaburgensem*, quæ statim initio fundationis novi Episcopatūs unita fuit mensæ Episcopali Anno 1461. per *Pium II. Papam*. non per *Paulum II.* quia *Paulus II. Papa* solum exemit Episcopum à Suffraganeatu Patriarchæ, non adjunxit *Abbatiam*, sicut tu cum illo sentis, non discernens inter *va & ves Ova & Oves*.

III. Ad

III. Ad num. 35. vix operæ pretium est aliquid reponere, tum quia suppositio tua falsa & nunquam probata, sufficienter in superioribus confutata, tum quia quisquis prudens lector & Historiarum antiquarum aut Geographiæ peritus qui tua scripta, tuam Responsonem legerit Sple-nis pruritu laborabit, & denique in risum solve-tur. Canto tibi, & non saltas? Imò nimium sal-tas extra Chorum. Urgeo, insto, moneo: osten-de vel unum antiquum authorem qui dicat Æmo-nam, vel Æmoniam, vel Emonam, vel Hemo-nam fuisse in Istria; qui dicat Nauportum Colo-niam, Nauportum fluvium fuisse aliquando in Istria, & dubitabimus postea an Plinius & Ptolomæus rectè Æmonam in finibus superioris Pan-noniæ reposuerint, dubitabimus an rectè scripsit Strabo Pamportum seu Nauportum amnem Savo influere. Quoadusque nihil simile ostenderis, nullam habebis fidem, quantumcunque ad ravim clamaveris. Nauportus est fluvius Istriæ nunc Quietus, Æmonia est Civitas Istriæ nunc Citta-nova: quia ad has propositiones semper repone-mus, *Falsum est quod Nauportus unquam fuerit in I-stria: falsum est quod Æmona unquam fuerit in Istria.* Nescis quod paria sint nihil allegare, & allegatum non probare? Unde tu probabis assertum? Ex Leandro, ex Volaterrano, ex Mercatore: isti novitij si illis aliios similes centum adjungas minus habebunt si-dei apud prudentes arbitros in hac materia, quam unicus Plinius, quam unicus Ptolomæus, *sed bæc fatis inquis, omnino satis, & satis male.* Properas ad negativa mea argumenta convertenda in affir-mativa. Et ego propero ad illa discutienda: & credo

credo quod illis nullis acclamabit Jo! præter aliquot Aſellos Iſtriæ. Te autem hortor cum ſapiente: *Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & te mendacio ineruditioſis tuae confundere.*

Ecclesiſtice
v. 30.

§. X IV.

Discutiuntur num. 36. usque ad 42.
inclusivè.

L.

Num. 36.

NE O T E R I C U S. Primum D. Archidiaconi negatiuum argumentum hujuscemodi verbis concipitur: Quia nullus antiquus scriptor Æmoniam vel Æmonam collocat in Iſtria. Cum potius dicendum erat, quod nullus scriptor eam collocat in Pañonia ut satis superq; in Responſionibus ad tria priora arguenda est probatum. Nam antiquissimi Ptolomeus, Plinius, Trogus, Herodianus, Hyginus, quid scriperint de ea, & ubinam eam collocaverint jam relatum est. Hos postea fecuti sunt qui ex propria scientia, & præcedentium auctorum lectione jam dicta & scripta comprobarunt, uti Volaterranus, cuius sententiam superius extendimus. Sed & alij Blondus à Forliuto jam tertio ab hoc ſeculo, de noſtra Æmonia ita scriptum reliquit: Quinque paſſuum millia ab Humago diſtat Æmonia, à recentioribus Civitas nova nuncupata penes quam in mari Nauportus effunditur, quem hodie fluvium appellamus Quietum.

Num. 37.

Frater Leander Albertius, & ipſe prioribus ſeculis ſum texuit hiftoriā, atque antiquiorum ſententijs ſuam adjungens, vernaculo Italico Idiomate, quod placet ita referre, ne quid traduſione videatur immutatum. Fuſdifcata Emonie da Greci, che portorono l' Argonave,

nave, i quali Venero da Emonia di Grecia, Appa-
ono i vestigi d'Emonia lungo al Quieto, ove si vego-
go i fondamenti degl' edificij & molti pavimenti
fatti alla Mosaica. Ruvinata Emonia fù poi qui-
vi fabricata Cittanova discosta dalla bocca del
Quieto un miglio. Fù abbruciata da Pannoni es-
sendo stato squerchiato da loco Berengario primo.
Caminando per longo al litto vedessi la foce del
Fiume Labato, hora detto Quieto, ma da Plinio
Nauportus, che scende dell' Alpi.

*Petrus Coppus antiquissimus scriptor, & hujus Pro-
vinciae rerum haud ignarus, ipse quoque vernaculo Idio-
mate hanc describens ait.* Cittanova non demonstra
alcuna antiquita, la qual vien ancora ditta Emo-
nia da Emonia antiqua, che edificarono li Greci
Argonauti, che portorono l' Argonave nel Quieto,
quali vennero da Emonia region & Città de Grecia,
dou' e' il monte Emo, della qua Emonia antiqua
appareno li vestigij dalla banda sinistra nel andar
in su del Quieto, ove si vedon fondamenti d' habi-
tationi, & Mosaichi, che fu inventione di Greci,
il che dimonstra il nome Chiamandosi il Mosaica
opera Grecanica, la qual Emonia in alto è sopra un
monte. Ha una valetta o ver Golfetto del detto
Quieto circa miglia quattro largo da Cittanova,
che già fù chiamata Novetio, e poi rifatta è sta-
mutato il nome Chiamandola Cittanova. *Hec il-*
le in hoc tantum corrigendus, quod collocet eam in monte,
cum ad littus in planicie existat, ita ut unda maritima ipsi-
mœnia adhuc lambere cernatur.

Dotor Nicolaus Manzolius in Historia Istriæ ita-
de eadem : Cittanova Istriana è l' antica Emonia, po-
sta qui riva del Naupporto.

Num. 38.

Num. 39.

Philippus Ferrarius itidem. Emonia Urbs Istriæ ad Nauportum excita, ex cuius ruinis Civitas Nova in ora inde ad tria millia passuum condita est sub Patriarcha Aquilejensi , à Parentio decem millibus passuum in Occidentem recedit.

Num. 40.

Sed inquit *D. Archi-Diaconus*, hi sunt præsertim Itali nostrarum partium ignari, qui id scribere sunt ausi unde *Clu-verius* lib. 1. *Antiq. Ital.* c. 21. ait per immanem errorem sunt interpretati. Quare audiendi sunt Germani & Transalpini, an idem scripserint. *Joannes Bremensis* in suo *Italiae* indice ita de nostra Emonia scripsit : Emonia nunc nova ci-vitas.

Num. 41.

Quod clarius expressit *Abrahamus Ortelius* in *Synonymica Geographica* inquiens : Æmonia Istriæ Urbs maritima hodie Cittanova.

Sebastianus Munsterus lib. 3. *Cosmographie* enumerans *Civitates Istriæ* inter Humagum & Parentium eam collocat, & in mappa propè ipsam designat Nauportum , quem fluvium non invenit in Carniola , in qua Labacum fluvium & Labacum vulgo Lubiana oppidum describit.

Gerardus Mercator in suo *Atiante* titul. *Friuli*, & *Istria* pergens per oram maritimam inquit : incedenti occurrit statim *Justinopolis* &c: succedit ora &c: ad alterum lapidem Ipsa Dayla, & ad tertium Civitas nova olim Æmonia. Ad in Carniola notat : Urbs primaria Labacum ejusdem cum flumine nominis. Idemque in ambabus mappis extendit. Dum postea enumerat Episcopatus sub Aquilejensi Patriarchatu , dicit : Episcopatus Civitatis novæ , vel Æmoniensis.

Num. 42.

Multi pluresque sunt antiqui scriptores, qui esse vestigioribus edocti Æmoniam nostram collocant in Istria ad mare

mare : paucique sunt qui ex æquivocatione fluviorum Labaci ac Nauporti , atque ex Inscriptionibus perperam arbitrati sunt eam esse in Carniola , quos secutus Cluverius priores licet sanioris judicij , & verioris sententiæ autores ausus est mendaci stringere nota , quod per immanem errorem scripserint . Et ceterum : Additur quoddam insulsum Epigramma in Cluverium , quod cum Amanuensis male describendo corruperit prætermitto . Concludit Neotericus . Et hæc satis ad primum argumentum ,

II. *ARCHI-DIACONUS.* Quod tibi satis est , mihi nihil est , quia non respondes ad propositum . Veteranos petij , Tyrones producis : verba multiplicas , sententiam non attingis . Antiquos authores , antiquos à duodecim , quindecim seculis producito , & vel unum ex ijs allega , qui Æmonam vel Nauportum in Istria reposuit , qui Æmonam ad littus maris collocavit , qui Nauportum asseruit esse Quietum , vel esse flumen qui in mare effunditur . Nihil horum potes : id est recurris ad Novitios , eosque ornas titulis antiquissimi scriptoris priorum seculorum , quasi tantum de mea fide præsumeres , quod illicò tibi sim crediturus , si assereres Leandrum Albertum ante mille annos scripsisse . Blondum à Forliuio ante quingentos . Falleris Neoterice , & licet te minoris faciam quam Leandrum , quam Blondum ; in hac tamen quæstione scito quod ipsis tam parum assentiar , quam tibi ; & dico illos per immanem errorem ex tua Cittanova fecisse Æmoniam , & te pertinaciter insistere immani errori , qui sicut semper fuit , ita semper erit immanis error , quamvis Balthasar centum Epigrammata scribat in Cluverium , qui sicubi forte

aliquid humanum est passus , in hac quæstione scripsit irrefragabilem veritatem , quam non corroboravit suis verbis & verbosa garrulitate , uti tu facis, sed verbis antiquorum authorum , qui verè antiqui sunt , quia ante mille trecentos, ante mille quadringentos , imò ante mille sexcentos annos scripserunt : & Æmonam in Pannonia , Nauportum in Pannonia , vel Tauriscia collocarunt. Pro me tu unum tam antiquum , pro me si potes. Hæret tibi aqua : & non tam salsum tibi mare est , quam noster Labacus verus Nauportus. Ego cum Cluverio & alijs tibi exhibeo Trogum , Plinium , Ptolomæum , Strabonem , alios non semel allegatos , allegavi tibi locum & verba Plinij & Ptolomæi , quæ clarissima sunt; tu tamen audes rescribere de Æmona , quod nullus scriptor eam collocat in Pannonia. Ergo Plinius nullus est scriptor ? ergo Ptolomæus nullus est scriptor ? Et soli tui Volateranus , Blondus , Leander , Copus , Manzolius , Ferrarius , Rhapsodi sunt scriptores ? O hominem perfectæ frontis !

III. Nullus scriptor dicis Æmonam collocat in Pannonia ut satis superque in responsionibus ad tria priora argumenta est probatum. Quid probasti per tuas responsiones ? Ego hactenus verba tua fidelissimè retuli , ut nihil omnino prætermiserim. Judicet orbis literatus an aliquid probaveris , an verò potius authores ineptè allegaveris , ineptius explicueris , ridiculè in tuum sensum trahere volueris. Pergis tamen : Antiquissimi Ptolomæus , Plinius , Trogus , Herodianus , Higynus quid scripserint de ea & ubinam eam collocaverint , jam relatum est. Omnino relatum est sed contra te: atque hi sunt qui te fal-

falsitatis reum constituunt. Adhuc pergis. *Hos postea secuti sunt, qui ex propria ſcientia, & præcedentium auctorum lectione jam dicta & ſcripta comprobarunt, uti Volaterranus. &c.* : Ex propria ergo ſcientia? quæro infusa an acquisita? si infusa, proba miraculum: si acquisita ex præcedentium auctorum lectione, nomina illos præcedentes? tibi enim toties falſo nihil credo, quod in communi & confuso profers. Produc præcedentes auctores, antiquiores aliquot ſeculis Volaterrano, Blondo, Alberto. Non potes? at nos poſſumus, & produximus. De Volaterrano ſupra dixi hoc cap. §. 9. de Blondo ita ſentit Joannes Gobellinus:

Gobellin.
ap. Ger.
Voff.

Procul Blondus ab eloquentia priſca fuit: neque ſatis diligenter que ſcripsit examinavit: non quam vera, ſed quam multa ſcriberet curam habuit &c: in pluribus enim erraffe deprehenditur. Et Floridus Sabinus de eodem: *Nec defunt, qui ab eo veritatis fidem multis in locis requirant.* Ego hoc loco requiro, quo ſcripsit Cittanovam eſſe antiquam Aemoniam, ſed nullo antiquo authore comprobavit. Vixit Blondus Anno 1440. unde inter antiquos numerari non potest. De Leandro ſupra dictum eſt, qui vixit Anno 1550. toto ſeculo junior Blondo, & in hac materia plane infans, utpotè qui appellavit *Quietum* fluvium *Labatum*, eundemque Plinij *Nauportum* prout ſcilicet legerat apud varios, quos volebat conciliare nescius *Labacum* & *Quietum* procul ab invicem distare & alteri verè alteri falsè convenire nomen *Nauporti*. Petr^o Copus junior Leandro descriptis Istriam, ſed vel in limitibus ejus ſtatuerit arguitur à Magino erroris: qua fide verò ſcriperit Cittanovam eſſe antiquam Aemoniam, vel inde colligere licet quod eam

Flor. Sa-
bin. ap.
cund.

collocet in monte cum sit in plano : deinde fatetur prius vocatam Noyetium , postea nominari cœptam Cittanovam , ergo prius non fuit Æmonia , vel nomen mutare solet singulis seculis , quia ex Cittanova rursum est facta Æmonia. Manzolium nihil moror scripsit quod apud suæ gentis homines legit , & leviter credidit. Idem est de Philippo Ferrario , cujus errores plusculos observat Lambecius in Biblioth. Cæs. Adjungo istis alium Novitium quem tu antiquum appelles. Is est Nicolaus Doglioni qui in sua descriptione orbis Anno 1623. edita Venetijs ita de Emona scribit : *San Lorenzo di Daila , & doppo Cittanova , fabricata ui dalle rouine del Antica Emonia , onde il suo Vescovo Emone niente si dice ; ci era edificata Emonia sopra ad un monte accanto una picciola valle del fiume Quiet , quattro miglia da Cittanova lontana , & si chiamava Novegio. Et li edificatori dicono esser stati Argonauti , che portarano la loro nave nel fiume Quiet , & vi si veggono anco alcuni vestigii. Fu abbraggiata questa Cittanova , quando fu Vinto Berengario primo delli Ungheri , da cui spingendosi alquanto avanti vi e la fore del fiume Labato , che hora Quiet si dice , ma Nauportus secondo Plinio era da prima tonuto. Questo scende da gli alti monti , & scorrendo fra quella da dodoci miglia , navigasse poi da ove dicono l'osteria per sino al mare. Presso al fiume e Labato castello , che Nauperto e nominato nel historie del Cornelio Tacito , ma al presente e questo castello addimandato Lubiana dalla palude vicina . &c: Habes hic Neoterice iterum unum antiquum authorem , qui non tantum Emonam , sed & Labacum castellum , imò si dis placet etiam Lubianam in Istriam transfert , & asserit sitam ad flumen Quietum , hodieque ita nominari.*

Lambec.
Biblioth.
l.2.c.8.f.
611. &
796. &
898. &c.
Nicol.Doglion. fol.
967.

minari. Non te pudet tam ignorantium authorum, qui omnia confundunt, quæque apud diversos legerent de Emona, in unam pignatam commiscent & ceu delicatum edulium apponunt Symposiastis? Ubi ad tuum Quietum invenitur Labatum vel Labacum Castellum? ubi in monte sive Emona, sive Labacum? Convenitne descriptio situs tuæ Cittanovæ & tuo Quieto potius quam Labaco Urbi & flumini? Labacum Castellum habet in monte, Cittanova non habet: Labacus fluvius per duodecim millia passuum defluit ex alto monte. Propè Labacum est Nauportus Colonia Tacito nominata. Vide an hæc tuæ Istriæ, Cittanovæ, & Quieto convenient, & da gloriam DEO. Possem tibi adhuc aliquot hujus farinæ suggerere, chartæ parco & Typo. Hi sufficiunt, qui tamen nihil tibi patrocinantur, quia non videntur consentire qui errant. Errare autem illos nil mirum; quia omnes fuerunt Rhapsodi, & collectores alienorum laborum, prout in manus incidebant, nullo habito discrimine veri à falso, & quod præcipuum est, non sunt nisi authores novitij & recentes, qui antiquis Plinio, Ptolomæo, Straboni & similibus non posseunt abrogare fidem. Proinde repeto cum Cluverio, quod nonnulli Itali scriptores per imanem errorem Istriæ civitatem Silvum (uti legit in Tabula Cluverius) vel potius Alvum (ut ego ex Ptolomæo conjicio) interpretati sunt Hemonam Coloniam apud Nauportum amnem. PER IMMANEM ERROREM.

IV. Sed Neotericus intentionem suam firmare vult etiam authoritatibus Germanorum. Et primo allegat Joannem Bremensem, quem non vidi,

*Reg. Jur.
civ. 117.
L. 15. si
per erro-
rem de Ju-
risd. om.
Judic.*

*Cluver.
lib. 1. Ital.
antig. c. 282*

nec

nec reperio in Catalogo scriptorum Vossij. Sed quisquis fuerit deceptus, est ab alio similiter decepto. Allegat secundò Abrahamum Ortelium, qui dicit: *Emoniae Istriæ Urbs maritima bodie Cittanova.* Nihilne amplius? Deprehenderis vulpecula. Qua fronte tu Ortelium allegare audes truncato, imò vitiato gravissimi authoris textu? Itane scripsit Ortelius in sua synonymia Geographica? Ego verò meis oculis plus habeo fidei, quam tuo calamo. Ortelius hæc habet verba in Editione Antwerpiana Anni 1578. A qua vix aliam diversam extare puto. *Emoniam Histrie maritimam Urbem,* & *bodie Cittanova vocatam,* scribunt Leander, Volaterranus, & Marius Niger. Ego verò quis veterum bujus *Emonie in Histria regione ad mare sitæ meminerit planè ignoro.* Plinius, habet *Emonam Pannoniæ Oppidum,* & *Emoniam quoque in Noricis,* quod Julius capitolinus *Hemonam* vocat. Ptolomæus *Emonam Urbem* statuit inter *Italianam & Noricum,* quam eandem esse puto cum *Emonia Plinij.* Sic etiam legendum erit apud Antoninum (quo loco *Hennoma, Hemonia, & Hennania* male habetur) bancque *Moletius Clemona* dicit vocari. *As-* cum Simlero potius credam Carniolæ caput esse, quod ho-*die Leybach* dicitur, & *vulgo Latinum Lubianam* no-*minant.* In ea enim Urbe extat *vetus Romana inscriptio,* in qua *Emonæ* sit mentio. Hæc Ortelius exactissi-*mus investigator* vetustorum nominum & loco-*rūm.* Non erubescis ad tantam falsitatem? De Munstero supra dixi quod relationi Ludovici Ver-gerij Istriani crediderit, qui fabulam pro veritate obtrusit, utpote cui cum alijs patriotis assueverat. Gerardii Mercatoris Atlas comportatus est ex mer-*cibus diversis,* & prout aliunde accepit tam tabu-*las*

NB.

NB.

NB.

NB.

NB.

las quām descriptiones ita illas edidit. Nam & à Marco Velsero Vindeliciæ delineationem, & Juriae peninsulæ Tabulam à Marco Jordano, & Britannicas Insulas ab alio quopiam Anonymo, alia ab alijs accepisse testatur Beyrlinck ejus conterraneus. Neque Mercator plus meretur fidei in suo Atlante, quam Joannes Bleau in eodem Atlante correcto, apud quem & Aemona & Nauportus non in Istria, sed in Carniola Labaci collocantur. Verba ejus si nondum legisti Neoterice, hic exhibeo: *Labacum caput gentis ad fluvium ejusdem nominis situm est. Clu-verius arbitratur antiquis Hemonam dictam fuisse: Lazius vero Jasonis & Argonautarum Nauportum sive Pamportum municipium, cuius nomen decrescente Imperio vicini Latobici in Labacum mutarunt. Windis vocatur hodie Lublana, Italis Lubiana, &c. Hic licet geminas afferat opiniones de veteri nomine Labaci, nec videatur alterutri adhærere, ex sequentibus tamen colligitur, quod subscriptat Cluverio, cum post nonnulla subjungit: Episcopatu quoque gaudet, qui cum ab aliquot centenis jam annis à Windis fuisse extintus, tamen Imperator Fridericus IV. ad annum 1460. iterum Episcopatum erexit. Quem putas hic alium antiquum Episcopatum à Windis extinctum referri, nisi Emonensem? Ac proinde Bleau recentior Atlas corrigit Atlantem Mercatoris; & si hic non corrigeret, alij plures corrigerent.*

V. Universim ergo decem authores pro se habet Neotericus, cui ego adhuc unum & alterum volo addere Aubertum Myræum, qui in Geographia Ecclesiastica Aemoniæ scribit Cittanovam. Joannem Anton. Maginum, de quo supra differui, Pacem Jordanum, qui in Catalogo Episcopatum

Beyrl.
Theat. vii.
Hum. To.

3.

Bleau in
Atlante
Novo.

Aub. My-
ræ. in Geo-
graph. Ec-
clesi.
Magin. in

*Geograph. Pax Jord.
dan. in E-
lucubrat.
To. I.*

nominat sub Patriarchatu Gradensi etiam *Civita-*
tis novæ seu Æmonensem, & si esset operæ pretium
 tales invenirem adhuc plures, sed de his omnibus
 liberè pronuntio, quod erraverint, quod descripse-
 rint ab alijs, quod crediderint, ex eo quia moder-
 ni Episcopi Civitatis novæ utuntur titulo *Æmoni-*
ensium, revera Civitatem novam esse antiquam
Æmoniam, cum tamen secus se res habeat, uti
 haec tenus ostendimus. Dicet tamen Neotericus;
Multi pluresque sunt antiqui Scriptores, qui ex vetustis-
ribus edoti Æmoniam nostram collocant in Istria ad mare.
 Hoc est afferere facile, sed probare difficile. Qui
 sunt illi multi antiqui, si nec unicum antiquum ha-
 cetenus produxisti? Blondus, Volaterranus, Lean-
 der non sunt antiqui: sed tibi videtur antiquum
 quod unum seculum excedit: planè etiam vestes
 tuæ quas ante 20 años lacerasti hoc sensu possunt
 dici antiquæ. Nos antiquum dicimus, quod mille
 annos excedit, & tales antiquos authores pro no-
 bis adduximus, tu nec unum similem potes addu-
 cere, quantumvis sæpè jactes, *plures sunt antiqui*,
 & dum agis Antæum quoties in terram & eandem
 assertionem recidis, toties Herculem experiris.
 Mitte gerras, & verba inania; res deprome, ad
 quæsita responde: nomina vel unum authorem
 antiquum, qui ante mille annos vixerit, & *Æmo-*
niam vel Emonam, vel Nauportum in Istria collo-
cavit, & eris mihi magnus Apollo. Non possum
 enim acquiescere prudenter assertioni tuæ. *Plu-*
res sunt antiqui, si prorsus nullum nomines. Et no-
 minares equidem perlibenter si haberes; sed pri-
 dem excusæ omnes Bibliothecæ, lustrati Codices
 à tuis patriotis, nuspiam tamen ullum vestigium
 apud

apud antiquos, Nauportum aliquem vel Emonam fuisse aliquando in Istria ubi nunc Cittanova. Quid ergo vano labore consumeris? quid obstrepis veritati? *Nauportus Labacus est, Emona Labacum est.* Etsi rumpereris charissimè quidam.

§. X V.

Discutiuntur num. 43. usque ad 46.
inclusivè.

I.

E O T E R I C U S. Secundi argumenti prior propositio alteram format negationem: Num. 43. Quod situs Emoniae in nullo conveniat Civitati novae; cui jam satis fecimus prioribus responsionibus: quare hic tantum superaddere libet, quod quamvis nullus Istriæ fluvius effluat in Savum, non ex hoc Emonia nostra in Savum labitur, neque ex eo quod Labacus fluvius Carnioliae in Savum labitur, Emoniae moenia lambit, ut Nauportus Istriæ ea lambere cernitur. Nam ex memoratorum scriptorum auctoritate constat non in Labacense Nauperto Argonautas ascendentis Navem ad vexisse, sed Alpes Julias descendentes in maritimum Istricum Nauportum ad Adriaticum, non longè à Tergesta illam invexisse.

Sed & Dominum Archi-Diaconum deceptum esse Num. 44. dicimus, dum putat nullum esse medium inter Civitatem novam, & Alpes: plura enim non brevia intersunt Spatia ab ea ad ipsas Alpes Julias, sub quarum radicibus ad meridianum tota Istriæ regio posita est, uti jam patet ex citatis in 2. Objectione circa Maximini accessum, & in tertia priori responsione.

Ad tertium argumentum, quo innuitur: nullum itinerarium collocare Emoniam in Istria: item præter ea,

quæ jam sunt allegata libet repetere Gerardi Mercatoris & cœterorum scriptorum sententias, qui pari passu progre-
diendo per Oram maritimam in Istria inter Humagum &
Parentium ad Nauportum, nunc Quietum nostram collo-
cant Æmoniam, nunc Civitatem Novam.

Nam. 46.

Ad quartum, ni sufficiant dicta in quinta Responsione addere liceat omnibus in confessu esse Inscriptiones Lapidum exprimere vocabula, non autem Urbes constituere. Sed & ad nostræ Æmoniæ antiquitatem probandam non de- sunt Romanorum monumenta, fatentia plurium eorum aliquando sedem fuisse, ut docet illud Caij Focerni militis Leg. V. Italicae Maximiani Imperatoris. Item duo no- biliæ familiae Calpurniorum, que leguntur hactenus in E- piscopali aula, & in pariete Ecclesiæ S. Stephani. Sub Choro Cathedralis extat Urna Pub. Valerij sext. Vir. In quodam muro super Forum visitur Cippus à Sexto Pompejo positus Granæ serenâ conjugi & Pompe- jæ veræ filiæ. Ut cœtera omittam cum aureis, argen- teis, æreisque numismatibus, quæ ex illis ruderibus per- sepe eruuntur, ad priscam Æmoniæ gloriam passim ex- citandam.

II. *ARCHI-DIACONUS.* Talpa aliquando juvenis ad matrem dixit: Morum video: & iterum thuris odor complevit nares meas; & demum: sonitus æris attigit aures meas. Cui mater respondit: ex tuis dictis colligo filia te non modo lumine, sed odoratu etiam atque auditu privatam esse. Applica Ephod Neoterice. Ex tuis dictis colligo te glriosum Thrasonem esse, jactare magna, præstare nihil. *Vana est Oratio omnis quæ rebus deficitur,* ajebat Demosthenes. Res volo non verba. Objeci ego quod situs Æmonæ in nullo conve- niat Civitati novæ, idque probavi obiter. 1. Quia nullus

Demostib.

nullus fluvius Istriæ influit in Savum, quo adverso Jason potuisset navigare ex Istro & Savo, uti Plinius tradidit, ergo non per Istricum aliquem fluvium sed per nostrum Labacum Jason ad Alpes subiit seu adverso flumine ad Alpes ferè navigavit: eaque occasione subsistens Aemonam condidit testibus Sozomeno, Zosimo, & alijs supra allegatis.
 2. Quia secundum Plinium Origo fluvij Nauporti est media inter Aemonam & Alpes, talis origo Labaci est inter Labacum & Alpes; non est verò media inter Alpes & Cittanovam Origo Quietum, sed quodammodo in triangulo utrique termino apposita ut omnes Chorographi tradunt, & tu fateri debes. 3. Quia nulla Civitas Istriæ est sub radicibus Alpium Julianarum, sed tota Istria inde remota &c: Et ita est, quia mons Carusadius sat largus totus inter Alpes & Istriam intercedit. Licet enim omnes hi vicini montes vulgo nominari cœperint Alpes, Juliæ tamen Alpes sunt angustus ille transitus, quo Goritiam transitur, non quo per Carusadium seu Carsum Flumen vel Tergestum iter est. Tu verò jactas jam satisfecimus prioribus responsionibus: quibus responsionibus? ubi ostendisti, quod Jason in Istria navigaverit adverso Nauporto usque ad Alpes, & ex Savo in Nauportum ascenderit uti habet series narrationis de Itinere Jasonis? ubi ostendisti quod tua Cittanova sit sub radicibus Alpium Julianarum, cum tota Istria ab illis radicibus monte Carvanca & Carusadio distinetur? sed video te velut Talpam non oculis tantum sed intellectu etiam & memoria laborare, cum dicis de me: D. Archi-Diaconum deceptum esse dicimus, dum putat nullum esse medium inter Civitatem novam & Alpes. Plura

enim non brevia intersunt Spatia ab ea ad ipsas Alpes Julianas. Quando ego putavi vel scripsi nullum esse medium inter Civitatem novam & Alpes? Imò quia scio esse medium valde largum & amplum formo argumentum , quod ibi non possit esse Æmona, quæ juxta Herodianum sita esse debet in extrema planicie ad Alpium radices. Fateris tu ipse inter Alpes & Cittanovam intercedere magna Spatia , quid hoc aliud est, quam agere Marium , & tibi meti ipsi fabricare gladium quo prosternaris ? *Confessio propria est probatio efficacissima.* c. per tuas. De probat : Vide quomodo vel non intelligas , quæ ego scripsi , vel memoria lapsus contrarium me putare dicas , quam putem , & scribam. Aperi oculos si talpa non es, & lege iterum , quod prius scripsi secundum argumentum negativum. *Quia Situs Æmonæ , qui ab Antiquis authoribus describitur, in nullo congruit Civitati nova.* Adjeci argumento probationes quas hic repeto , & deduco. Ad situm Æmonæ vult Plinius & Ptolomæus , ut sit in Pannonia , sed Civitas nova non est in Pannonia , ergo Civitas nova non est Æmona. 2. Ad situm Æmonæ requirit Herodianus ut sit sub radicibus Alpium Julianum, sed Civitas nova , ut ipse fateris , non est sub radicibus Alpium Julianum, ergo Civitas nova non est Æmona. 3. Ad situm Æmonæ requirit Ptolomæus ut sit inter Italiam & Noricum proximè sub Norico , sed Civitas Nova non est inter Italiam & Noricum , cùm sit intra ipsam Italiam , neque est sub Norico immedia- tè cum mediaverit Carnia & Japidia & media Istrija , ergo Civitas nova non est Æmona. 4. Ad si- tum

tum Aemonæ requiritur ut non sit procul à Nauporto fluvio uti colligitur ex Plinio, Nauportus verò ex eodem Plinio continuari debet Savo sicut Savus Istro, quibus adversis navigavit Jason, sed Civitas Nova procul remota est à tali Nauporto, imò ab omni fluvio qui in Savum se exoneret; nec ullum fluvium habet Istria, quo Jason adverso navigare potuisset ad Alpium radices ergo Civitas Nova non est Aemona. 5. Ad situm Aemonæ requiritur, ut pernoctans in ea Maximinus Imperator die sequenti orto sole potuerit contendere ad Alpes properans ex Pannonia Aquilejam, sed si pernoctasset in Civitate nova, non potuisset sequenti die Alpes attingere, neque proficiscendo è Pannonia divertere ad medium Istriæ fuisset properare Aquilejam, ergo Civitas nova non est Aemona. 6. Ad situm Aemonæ requiritur ut inter eam & mare Adriaticum intercedant minimum cccc. stadia, ut Sozomenus & Zosimus habent, per quæ Argonavis translata est. Sed inter mare & Civitatem novam nec unum quidem stadium mediat, ergo Civitas nova non est Aemona. 7. Ad situm Aemonæ requiritur, ut juxta Antoninum distet Nauporto Colonia XII. millibus passuum, & Savo fluvio VIII. millibus passuum, Nauportus verò distet Longatico VI. millibus passuum; sed Civitas nova nec habet prope ulla vestigia Nauporti Coloniæ, nec habet propinquum Longaticum, nec Savum fluvium (sicut nostra Urbs Labacum) nec post Savum Adrantem aut Celejam secundum præfatum Antoninum, ergo Civitas nova non est Aemona. 8. Ad situm Aemonæ requiritur ut sit in tali Provincia & Regione per quam Jason aliquando

do iter fecerit, idque antiqui authores expresse-
rint, sed quod Jason aliquando per Istriam iter fe-
cerit nullus antiquorum authorum, aut eorum
quos haec tenus legi expressè tradit, ergo Citta-
nova in Istria non est Æmona quam condidit Ja-
son. Hanc minorem mirabitur Neotericus, ut-
pote qui ex forti imaginatione somniatæ suæ Æ-
monæ sibi persuadet Jasonem per Istriam fecisse
iter.

Strabo lib.
1. mihi
fol. 13.

III. Probandæ igitur assumptæ propositioni
quod non constet ex antiquis authoribus an Jason
aliquando per Istriam iter fecerit expendo tot
quot ad manum sunt authores. Strabo sic ait :
*Quidam maximam Istri partem Jasonem annavigasse com-
memorant, aliqui autem usque ad sinum Adriaticum ;
quidam sanè per locorum inficitiam. Alij per fluvium
Istrum dicunt, qui ab magni inchoanti Istro effundi-
tur in Adriam. Istrum hic intelligit Danubium,
vel aliud fluvium qui in Adriam effluit, sed non
asserit fluvium Istriæ, quia in Adriam seu Adriati-
cum mare plures fluvij ingrediuntur, ad quos po-
tuit Jason ex Istro seu Danubio excendens transi-
re & in Adriam defluere, uti est Sontius, Timavus,
&c. qui non sunt, in hodierna Istria. Plinius ut su-
pra vidimus asserit secundum quosdam Argona-
vem flumine aliquo in mare descendisse, non con-
stare autem quo flumine, sed non dicit quod aliquo
flumine Istriæ quia potuit etiam defluere per Son-
tium qui non est in Istria, per Timavum qui non est
in Istria. Justinus cuius verba supra dedimus : ait :
Colchos alveo Savi fluminis penitus invectos ve-
stigia Argonautarum insequentes naves suas hu-
meris per juga montium, usque ad littus Adriati-
ci*

ci maris transtulisse : hoc autem fieri potuit per eandem viam per quam Strabone teste onera plaustris ab Aquileja Nauportum transvehabantur, ut nec limites Histriæ attingerentur. *Sozomenus*, quem etiam supra allegavi, ait : Argonautas transmisso mari quod super Scythes est per flumina quæ per illas partes labuntur ad Italorum pervenisse fines, atque ibi hyemantes urbem condidisse nomine Æmonam : sequenti autem æstate Argo-nayim quadringenta circiter stadia per terram machina quadam tractam, deduxisse in Aquilim fluvium, qui in Eridanum influit, Eridanus autem in mare Italicum exit. Hic quoque nulla mentio Istriæ. Licet enim nullus fluvius reperiatur dictus Aquilis, suspicantur tamen nonnulli nominatum Aquilim ab Aquileja, quasi propinquum Aquilejæ, qui potuit esse tam Sontius quam Timavus, aut etiam Natiso, imò remotior aliquis in Padum influens, qui & Eridanus dictus, ad quem si pervernerunt Argonautæ Istriam ne quidem attigerunt. *Zosimus*, De Æmona condita ait : *Ipsa structura op-pidi in memoriam adventus sui in istas oras relata, & Argon machinis imposita, perque stadiorum cccc. spatium usque ad mare pertratta Thessalorum littoribus appulerunt.* Hic etiam nulla mentio Istriæ, & poterant (ut supra dictum) navem ad littus maris pertrahere ad Aquilejam, nec attingendo Istriam, vel ultra, quia Thessalorum littora sunt Padi ostia, ut notat Clu-verius. *Martialis* quem etiam supra allegavimus per Timavum defluxisse in Adriam Argonavem affirmat, ergo per nullum fluvium Istriæ hodiernæ. Unicum *Hyginum* reperio pro adversarijs ita scri-bentem : *Æta ut rescijt Medeam cum Jasone prosu-pisse :*

*Zosim. lib.
5. bisl.*

*Hygin.
Myth. fab.
23.*

gisse : nave comparata misit Absyrtum filium cum Satellitibus armatis ad eam persequendam, qui cum in Adriatico mari in Histria eam persecutus esset ad Alcinoum Regem, & vellet armis contendere, Alcinous se interposuit ne bellarent. Verum ad hunc locum recte observat Cluverius : Vitiosè scriptum esse in Histria eam persequutus, pro in Corcyram Insulam persecutus, quippe Corcyrae Phæacumque Regem fuisse Alcinoum, vulgo notum est. Adde quod dicat Higynus in Adriatico mari in Istria eam præsequutus, non esse sensum quod in ipsa Istria, sed in mari quod Istriam alluit Medeam persequutus sit Absyrtus. Proinde neque ex Hygino habemus quod Jason aliquando ingressus sit Istriam. Unde ergo nomen ab Istro fluvio traxerunt Istri? respondeo per Colchos non per Argonautas, quia Colchi illic suas fixerunt sedes, sicuti & in Insulis Liburnicis quæ Absyrtides dictæ ab Absyrtō machinatione Jasonis ibi imperfecto, quarum una hodie adhuc nomen servat Absorus, vulgo Osero. Denique etiamsi aliquis scripsisset expressè Jasonem aliquando ingressum fuisse Istriam, nullus tamen scripsit eum navigasse per Quietum, nullus scripsit eum in Istria condidisse Æmonam. Ergo à primo ad ultimum : Situs Æmonæ, qui ab antiquis authoribus describitur, in nullo congruit Civitati novæ.

IV. Porro ad meum tertium argumentum, quod nullum Itinerarium antiquum collocet Æmonam in Istria respondet Neotericus : præter ea quæ sunt allegata, libet repetere Gerardi Mercatoris & cæterorū scriptorum sententias. Quæ sunt allegata? nempè quod in exemplari Lugdunensi legatur Hennomacium non

non Æmona : quid inde ? at in alijs exemplaribus ponitur expressè Æmona & Hemona. Præterea allegavit illud iter esse Aquileja Calejam in Saxoniam , alij docti verò dicunt Celejam in Styriam , unde sicuti tunc risimus phantasticam interpretationem. Ita iterum.

Ridete mecum quidquid est cachinnorum

Quia Neotericus ut Æmonam reponat in Istria secundum *Itineraria antiqua*, recurrit ad Gerardum Mercatorem , & ab eo vult pro sua Istria mercari Civitatem Pannoniæ : quasi hic mercator Thau-maturgus foret, qui posset montes & Urbes trans-ferre, & hujus descriptionem nondum centum annorum vult haberi pro Itinerario antiquo. Tandem ad meum quartum argumentum, quo ostendebam lapides antiquos Labaci extare cum nomine Æmonæ, respondet Neotericus in Civitate nova etiam extare Inscriptiones antiquas , sed nulla earum refert nomen Æmonæ. Quid hinc concludere licet ? Neoterico hæret aqua : nescit quid respondeat. Jactat aurea , argentea , ærea numisma-ta , quæ in ruderibus *Alvi* eruuntur. Neque nos talibus caremus. Episcopus Labacensis Otto Friedericus p. m. ante paucos annos habuit ejusmodi numismatum supra tria millia , magna ex parte Labaci collecta. Ex eo tamen ego non forma-vi argumentum Labaci esse Æmonam potius , quam aliam Civitatem antiquam , vel Coloniam Romanam : non enim ad hoc probandum sufficiunt. Inscriptiones etiam Romanas habemus plu-rimas , quas cum ad propositum non faciant , non allegavi : illas solum pro confirmatione addu-xi , quæ nomen referunt Æmonæ. Age Neoterice

producito tu , vel unam similem : quamquam si produceres , deficientibus alijs argumentis , illa sola parum probaret. Manet ergo inconclusa veritas haec tenus ventilata , & propugnata , quod vetus *Emona* à Jasone & Argonautis condita , nuspiam alibi sita fuerit , quam Labaci. Pro hac veritate stant veteres Geographi , veteres Historici : recentes Geographi , recentes Historici. Pro hac stant antiqua Itineraria , antiquæ Inscriptiones : Cum pro Cittanova Istriæ nihil penitus adduci possit , præter aliquot recentium Rhapsodorum somnia & figmenta , quæ in hoc punto non possunt præponderare , imò nec comparari authoritatibus antiquorum.

V. Restaret discutienda quæstio à me in scripto synoptico breviter insinuata : *Unde ergo Episcopis civitatis Novæ appellatio Episcoporum Emoniensium?* Ad quam Neotericus reposuit multa verba sine sale , aut potius asseruit supponendo , nil probando. Recenset enim aliquot antiquos Episcopos Emonenses ex actis Conciliorum , ex suppositione quod Cittanova sit Emona , quod erat prius probandum. Unde sicut errat in supposito , ita in assertione. Etenim *Non entium nullæ qualitates* , & ubi nulla fuit *Emona* , ibi nulli potuerunt esse Episcopi Emonenses , nisi translati. Quorum nomina extant usque ad Annum Christi septingentesimum circiter sub titulo *Emoniensium Episcoporum* , hi fuerunt Episcopi veræ *Emonæ* quæ est Labacum , non fictæ *Emoniæ* quæ est Cittanova , de quibus latius differam in Annalibus. Ceterum hac dissertatione non intendo ego Civitatis Novæ Episcopis de nomine litem indicere , ipsi viderint

derint unde illud habeant. Usurpatum ab illis ante tria vel quatuor secula non diffiteor, sed quo jure id fecerint nescio, neque ostendit Neotericus. Conjectura mea est, vel per errorem, vel per translationem Episcopatus. Si per errorem; *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Reg. Jur. Can. 18. in 6. si per translationem? translato Episcopatu non est translata civitas. Certum est quod *Alvum* Istriæ Ptolomæo nominatum, uti plures aliæ civitates Istriæ ab Hunnis & Slavis dirutæ fuerint seculis æræ Christianæ quinto, sexto, & septimo, & circa eadem tempora nostra Æmona, quæ postmodum mutato regimine, & potissimum Caroli Magni industria ejusque Ducum cœperunt reædificari, & tunc *Alvum* obtinuerit nomen *Civitatis Novæ*, aut etiam Novetij, uti dicunt supra allegati scriptores Itali: Æmona verò nostra à Germanis habitari cœpta una cum fluvio *Laubach* vocari cœperit. Interjectis deinde duobus seculis obliteratum fuit nomen Alvi in Istria, Æmonæ in Pannonia, & fortè sciolus aliquis, id est luscus inter cœcos, legendo fabulas & descriptiōnem navigationis Argonauticæ conjecturavit in Istria conditum Æmonam à Jasone, ideoque respiens ad rudera Alvi, putavit ibi esse rudera Æmonæ. Eaque de causa cœperint Episcopi ejus loci nominari Æmonienſes. Et hæc fuisset usurpatio nominis per errorem. Si verò seculo octavo vel nono quo Episcopatus iterum restituebantur opera Christianorum Principum, titulus Emonensium Episcoporum attributus fuit novis Episcopis Novetij vel Civitatis novæ ex ruderibus Alvi ædificatæ, fuisset usurpatio tituli per translationem,

quam facere potuit Patriarcha Metropolita , vel summus Pontifex : Sed miror ego quod inveniantur nomina Episcoporum illius loci Anno Christi 900. & seqq. cum titulo Civitatis Novæ. Et Episcopatus Civitatis Novæ nominatur à Carolo Magno Anno 803. in diversis Privilegijs, nuspia autem his duobus seculis reperitur nomen vel Episcopatus Æmonensis , vel Episcopi alicujus Æmonensis. Nam quod Ughellus nominet Joannem Episcopum Æmonensem Anno 961. id facit sua authoritate , quia putat Æmonam esse Cittanovam. Aliter scriptus reperitur ille Joannes in instrumento Rodoaldi Patriarchæ ubi hæc verba leguntur : *Noverint universi quod nos Rodoaldus, Eccl. convocatis ven. Patribus, & Dominis Gaspaldo Polenfis Ecclesie Episcopo, Joanne Civitatis Novæ Ecclesie Episcopo. Eccl. Anno 961. die 8. May.* Otto III. Imperator in diplomate quodam Anni 996. nominat inter Episcopatus sub Metropoli Aquilejensi , tertium illum qui apud civitatem novam Histriae constitutus esse noscitur. Et Anno 1031. instrumento Popponis Patriarchæ subscriptus *Azo Civitatis Novæ Episcopus.* Primus, quod hactenus ego pro comperto habeam scripsit se Episcopum Æmonensem Adamus , qui in literis Fundationis Oberburgensis Monasterij reperitur subscriptus *Adam Emoniensis Episcopus* Anno 1140. Et hic corpora SS. Maximi & Pelagij in Cathedrali Civitatis Novæ reposuit , sive Roma impetrata sive aliunde. Quisnam autem fuerit hic S. Maximus adhuc non constat: cum alij volunt fuisse Episcopum Emonensem, & tunc esset noster , alij volunt fuisse Episcopum Veronensem & Martyrem. Ante illa tempora ab Anno circiter Christi

Ughell. To.
§. Ital. sac.
fol. mibi
220.

Idem Ug.
bell. ib.
fol. 366.

Franc.
Pallad.
Parte 1.
lib. 4. fol.
146.

MSS.
Oberburg.

Christi 700. nullius Episcopi nomen reperitur cum titulo Æmoniensis vel Emonensis, sed aliquot tamē nomina extant Episcoporum Civitatis Novæ, ut proinde potius de erronea usurpatione, quam translationis jure conjectura formari possit. Sed ut dixi hanc quæstionem in Synoptico scripto insinuatam nunc sepono, quia hic scopus fuit solum ostendere situm veræ Æmonæ à Jasone conditæ, & vetustis scriptoribus celebratæ, eumque non esse alium quam situm Labaci Metropolis Carnioliae. Quod quam solidè præstiterim, judicabunt, qui in hoc scriptioñis genere judicare aliquid possunt. Nec censuras Doctorum refugio; semper in arenam descendam provocatus, & spero me Vindicaturum
 Æmonæ nomen vetustum meæ patriæ, imò defacto vindicasse non dubito. *Et hic
 jubet Plato quiescere.*

F I N I S.

legi 8 feb. die 9 feb. 1721.



Graviora menda sic emenda.

Littera A. Columnæ initium. B. medium. C. finem indicat.
 P. 2. A. Quadraginta circiter. l. quadringenta. p. 3. A. Suparatis. l. suparatis. ib. B. Valeriano. l. Valerio. p. 4. C. Cocinium. l. Corinnium. p. 6. A. Emia. l. Ema. ib. C. Antonium. l. Antoninum. & p. 7. idem. p. 19. C. Caruscadio. l. Carusadio. p. 22. B. Terporum. l. Terponum. p. 26. A. Pamporto & Nauperto. l. Pamporto & Nauponto. p. 32. A. No tando haud. l. natando. p. 33. A. demnum subdit: l. demum subdi: ibid. modo Naupor-

Nauportum. l. modo Naupontum. p. 36. **B. Unnensis.** l. **Ulmenis.** p. 39.
A. miscent antiqua. l. miscens antiqua. ib. Ausiæ. l. Arsæ. p. 40. **B.**
QVARTI. l. QVAETI. p. 41. A. quod Ptolomæo. l. quod in Ptolo-
mæo. ib. Colchos cum. l. eum p. 44. A. habeantur. l. habebantur. ib. ob
justitiam. l. ob justitium. ib. castris accipere. l. accepere. ib. Quia decu-
mani. l. Quintadecumani. p. 45. A. ipsi in l. ipsa in. ib. lin. ult. nulloque
l. nullusque. p. 48. A. neque quidam. l. neque quidquam. p. 49. C. ut
præterea. l. ubi præterea. p. 50. C. Theodosi. l. Theodosij. p. 55. **B.** se-
cuti postea. l. sicuti postea. p. 56. **B.** neque jam. l. neque aliam. p. 60. **B.**
EXCONICULAR. l. EXDORNICULAR p. 69. **B.** levi indicō. l. levi in-
dicio p. 71. C. Pobrado. l. Dobrado p. 72. **B.** scriptum. l. scriptorum.
p. 77. C. proscriptis. l. quo scripsit. p. 78. C. transierent. l. transirent.
p. 79. C. mutatus l. mutuatus. p. 81. **B.** sunt Historiam. l. sunt Histriam.
p. 89. ulla unquam Istria. l. nulla unquam in Istria. p. 92. A. Æmona,
Piscia. l. Æmona Siscia. ib. Barboi. l. Barbio. p. 96. C. Veneto, Glemo-
næ. l. Veneto, vel Amone. p. 97. **B.** aucto calumo. l. acuto calamo. p. 99.
C. ut patet. l. ut putat. p. 101. C. subtestâ fide. l. sublestâ fide. p. 102. **B.**
Emona, Jadera. l. Enona, Jadera. p. 104. C. habetur sub. l. habebatur
sub. p. 105. A. quam hic. l. quæ hic. p. 111. C. innumerat. l. inveniat.
p. 112. A. in suo Moletio. l. in tuo Moletio. p. 114. **B.** Carniola. & l. Car-
niola pro. p. 115. C. Noricum intercedebant. l. & Noricum, quia
Carni Japydibus contermini inter Istriam & Noricum intercedebant.
p. 118. **B.** est. Denique. l. est; quia licet pars Tyrolis sit in Vindelici ve-
teri, non tamen tota Tyrolis. Denique. ibid. limites comprehenda-
tur. l. limites non comprehendatur. p. 119. C. Labaccam fluvium. l. La-
bicciam fluvium. p. 120. A. suæ male. l. sive male. ibid. non jus. l. non
vis. ibid. sit media l. sit in media. p. 125. **B.** capiebat Pannionam. l. ca-
piebat per Pannionam. p. 131. A. ex sequentibus. l. ex præcedentibus,
quia ad Alpes erant præmissi speculatores, & ex sequentibus. ibid.
contendebant, adde; Vides prius Maximinum peryenisse ad orbem
Æmonam, quam ad Alpes. p. 133. A. Castra nec. l. Castra nec. p. 138.
C. non Nauportum. l. non Naupontum. p. 139. **B.** Segestanam Oram. l.
Segestanam oram. p. 143. A. Scaphalarum. l. Scaphularum p. 149. C.
sunt Ostica. l. sunt Ostia p. 151. A. qui erant l. qui errant. p. 153. C. ha-
beo? omnino. l. habeo? omnino. p. 195. **B.** agis de una. l. agit de una. p.
161. Arivatos. l. Arivates. ib. Vipanus. l. Urpanus. p. 164. A. nova
quæ. l. novaque. p. 165. ponat FLUVIO. l. ponat FLUULO. p. 167. C.
Nomen non quærendas. l. nomen, non duodistincta, ut tu erroneè su-
spicaris, & ille quidem fluvius non procul Aquileja quærendus. p.
174. A. majorem locorum. l. variorum locorum. p. 175. C. Veterani. l.
Veterano. p. 176. C. erudentissimus. l. eruditissimus. p. 179. A. intereat.
l. intererat. p. 181. (inquo). l. (inquis) p. 184. A. illis nullis. l. illis nul-
lis. p. 185. A. vegogo. l. vegono. ib. da loco. p. 188. **B.** perfectæ frontis.
l. perfictæ frontis. p. 190. **B.** tonuto. l. tenuto. ib. dodoci l. dodici.
ib. la fore l. la foce. p. 191. a. legerent. l. legerunt. p. 193. à Iuriæ
l. Iutiae. p. 203. c. Istria conditum. l. Istria conditam.

Verzeichniss

Der Herren Burgermaister vnd
Richter der Fürstl. Haupt-Stadt Lay-
bach / sobil deren aus alten Schriften vnd Pro-
tocollen haben können aufgezogen werden.

Anno 1295. Waren zween Richter zu Laybach
Herr Ulrich N. vnd N. Franc.

Anno 1340. Herr Leo, vnd Herr Albrecht die Richter.

Anno 1406. Richter Herr Georg Manilius.

Anno 1503. Herr Hanns Lantheri Stadt-Richter.

Anno 1504. Bekamme die Statt Laybach Freyheit einen Bur-
germaister zu erwohnen / vnd ist vermutlich der
Erste gewest/ obgemelster Herr Hanns Lantheri.

Anno 1516. Burgermaister Antonius de Lantheri.
Richter Pangraz Lustaller.

Anno 1517. Burgermaister Antonius de Lantheri.
Richter Pangraz Lustaller.

Anno 1518. Burgermaister Hans Skandinav.
Richter Marx Kärner.

Anno 1519. Idem.

Anno 1520. Burgermaister Wolfgang Posch.
Richter Peter Reinherz.

- 1521
- Anno 1521. *Iidem.*
Anno 1522. *Burgermaister Hans Skandlnath.*
Richter Pangraz Lustaller.
Anno 1523. *Burgermaister Antonius de Lantheri.*
Richter Christoph Praun.
Anno 1524. *Iidem.*
Anno 1525. *Burgermaister Georg Gering.*
Richter Hans Lischler.
Anno 1526. *Burgermaister Pangraz Lustaller.*
Richter Jobst Gwinner.
Anno 1527. *Burgermaister Wilhelm Praunsperger.*
Richter Hans Lischler.
Anno 1528. *Iidem.*
Anno 1529. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Gedrg Serker.
Anno 1530. *Burgermaister Veit Küsel.*
Richter Jobst Gwinner.
Anno 1531. *Burgermaister Wilhelm Praunsperger.*
Richter Jobst Gwinner.
Anno 1532. *Burgermaister Hans Weilhamer.*
Richter Michael Lischler.
Anno 1533. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Michael Lischler.
Anno 1534. *Burgermaister Wilhelm Praunsperger.*
Richter Michael Frankovitsch.
Anno 1535. *Burgermaister Hans Weilhamer.*
Richter Marx Skettner.
Anno 1536. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Hans Lischler.
Anno 1537. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Hans Lischler.
Anno 1538. *Burgermaister Wilhelm Praunsperger.*
Richter Michael Frankovitsch.
Anno 1539. *Burgermaister Hans Weilhamer.*
Richter Marx Skettner.
Anno 1540. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Hans Lischler.
Anno 1541. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Gedrg Serker.
Anno 1542. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Hans Dorn.
Anno 1543. *Iidem.*
Anno 1544. *Burgermaister Wolfgang Gebhart.*
Richter Michael Frankovitsch.
Anno 1545. *Burgermaister Veit Khüsel.*
Richter Hans Dorn.
Anno 1546. *Iidem.*
Anno 1547. *Burgermaister Wolfgang Gebhart/*
Richter Andre Ester.
- Anno

Bürgemeister

- Anno 1548. Bürgermeister Hanns Dorn.
Richter Andre Ester.
- Anno 1549. Bürgermeister Hans Dorn.
Richter Blasij Sämerl.
- Anno 1550. Idem.
- Anno. 1551. Bürgermeister Hans Dorn.
Richter Andre Ester.
- Anno 1552. Bürgermeister Georg Tissrer.
Richter Andre Ester.
- Anno 1553. Bürgermeister Georg Tissrer.
Richter Leonhart Khrön.
- Anno 1554. Idem.
- Anno 1555. Bürgermeister Michael Frankovitsch.
Richter Blasij Sämerl.
- Anno. 1556. Bürgermeister Georg Tissrer.
Richter Michael Wodopinich.
- Anno 1557. Idem.
- Anno 1558. Bürgermeister Georg Tissrer.
Richter Leonhart Khrön.
- Anno 1559. Bürgermeister Blasij Sämerl.
Richter Marx Pregel.
- Anno 1560. Idem.
- Anno 1561. Bürgermeister Blasij Sämerl.
Richter Gregor Teschitsch.
- Anno 1562. Idem.
- Anno 1563. Bürgermeister Marx Pregel.
Richter Wilhelm Threyber.
- Anno 1564. Bürgermeister Blasij Sämerl.
Richter Felix Tolhopff.
- Anno 1565. Bürgermeister Lienhart Khrön.
Richter Gaspar Hochstetter.
- Anno 1566. Idem.
- Anno 1567. Bürgermeister Michael Wodopivich.
Richter Georg Pissanitz.
- Anno 1568. Bürgermeister Michael Wodopivich.
Richter Georg Pissanitz.
- Anno 1569. Bürgermeister Blase Sämerle.
Richter Hans Phanner.
- Anno 1570. Idem.

- Anno 1571. Burgermaister Hanns Phanner.
Richter Felix Tholhopff.
- Anno 1572. Idem.
- Anno 1573. Burgermaister Hanns Phanner.
Richter Hanns Jacob Pichardo.
- Anno 1574. Burgermaister Casper Hochstetter.
Richter Hans Jacob Pichardo.
- Anno 1575. Burgermaister Blase Samerl.
Richter Wolff Gartner.
- Anno 1576. Idem.
- Anno 1577. Burgermaister Lienhardt Khreen.
Richter Sebastian Rantitsch.
- Anno 1578. Idem.
- Anno 1579. Burgermaister Hanns Phanner.
Richter Marx Steffner.
- Anno 1580. Burgermaister Hanns Phanner.
Richter Wolff Gartner.
- Anno 1581. Burgermaister Lienhardt Khreen.
Richter Wolff Gartner.
- Anno 1582. Burgermaister Marx Steffner.
Richter Hanns Khärner.
- Anno 1583. Idem.
- Anno 1584. Burgermaister Wolff Gartner.
Richter Andre Bold.
- Anno 1585. Idem.
- Anno 1586. Burgermaister Wolff Gartner.
Richter Franz Leberwurscht.
- Anno 1587. Burgermaister Wolff Gartner.
Richter Jacob de Curtoni.
- Anno 1588. Burgermaister Jacob de Curtoni.
Richter Niclas Dulacher.
- Anno 1589. Burgermaister Jacob de Curtoni.
Richter Jacob Franz.
- Anno 1590. Burgermaister Jacob de Curtoni.
Richter Jacob Franz.
- Anno 1591. Burgermaister Marx Steffner.
Richter Andre Alexandrin.
- Anno 1592. Burgermaister Andre Bold.
Richter Andre Alexandrin.
- Anno 1593. Burgermaister Venturin Thrabisan.
Richter Georg Stecklina.

390

- Anno 1594. Burgermaister Venturin Chrabisan.
Richter Niclas Dolcher.
- Anno 1595. Burgermaister Michael Rossen.
Richter Leonhardt Job.
- Anno 1596. Burgermaister Michael Rossen.
Richter Venturin Chrabisan.
- Anno 1597. Burgermaister Michael Rossen.
Richter Mert Schöberle.
- Anno 1598. Burgermaister Antoni Feichtinger.
Richter Michael Taller.
- Anno 1599. Burgermaister Andre Chrön.
Richter Hannß Albin / nach dessen Todt Lucas Pes-
tek dazumahl die Pest stark regiert / vnd mästte
Herrn des Raths gestorben.
- Anno 1600. Burgermaister Joseph Eschauße.
Richter Michael Thaller.
- Anno 1601. Burgermaister Andrian Gallisinger.
Richter Mert Schöberle.
- Anno 1602. Burgermaister Andre Chrön.
Richter Hannß Sanze.
- Anno 1603. Idem.
- Anno 1604. Burgermaister Joseph Eschauße.
Richter Hannß Wodopiviz.
- Anno 1605. Burgermaister Michael Preiß.
Richter Joseph Mahortschitsch.
- Anno 1606. Burgermaister Michael Preiß.
Richter Hannß Khumberger.
- Anno 1607. Burgermaister Hannß Wadapiviz.
Richter Achaz Ambischel.
- Anno 1608. Burgermaister Hannß Sanze.
Richter Achaz Ambischel.
- Anno 1609. Burgermaister Hannß Sanze.
Richter Gregor Klebeine.
- Anno 1610. Burgermaister Johann Baptista Gidinetz.
Richter Adam Eppich.
- Anno 1611. Idem.
- Anno 1612. Burgermaister Hannß Sanze.
Richter Gedrg Vnger.
- Anno 1613. Burgermaister Hannß Sanze.
Richter Georg Widitsch.

- Anno 1614. Burgermaister Johan Baptista Bernhardini.
Richter Georg Widitsch.
- Anno 1615. Burgermaister Johann Baptista Bernhardini.
Richter Andre Strobel.
- Anno 1616. Burgermaister Adam Eppich.
Richter Andre Strobel.
- Anno 1617. Burgermaister Adam Eppich.
Richter Georg Widitsch.
- Anno 1618. idem.
- Anno 1619. Burgermaister Adam Weiß.
Richter Niclas Khlain.
- Anno 1620. Burgermaister Adam Eppich.
Richter Niclas Khlain.
- Anno 1621. Burgermaister Michael Preiß.
Richter Gregor Khunstl.
- Anno 1622. Burgermaister Hanns Baptista Bernardin.
Richter Gregor Khunstl.
- Anno 1623. Burgermaister Johan Baptista Verbez.
Richter Abraham Derlatsh.
- Anno 1624. Burgermaister Georg Widitsch.
Richter Christoph Otto.
- Anno 1625. Burgermaister Johan Baptista Bernardin.
Richter Christoph Otto.
- Anno 1626. Burgermaister Hanns Baptista Verbez.
Richter Gregor Khunstl.
- Anno 1627. idem.
- Anno 1628. Burgermaister Hanns Baptista Verbez.
Richter Fortunatus Jüdath.
- Anno 1629. Burgermaister Horatio Carminelli.
Richter Hanns Cornion.
- Anno 1630. Burgermaister Georg Widitsch.
Richter Hanns Cornion.
- Anno 1631. Burgermaister Andre Strobel.
Richter Fortunatus Jüdath.
- Anno 1632. Burgermaister Andre Strobel.
Richter Marx Wiz.
- Anno 1633. idem.
- Anno 1634. Burgermaister Christoph Otto.
Richter Hanns Haintich Widerkher.
- Anno 1635. idem.

Anno

- Anno 1636. Burgermaister Christoph Otto:
Richter Franz Ciriani.
- Anno 1637. Idem.
- Anno 1638. Burgermaister Gregor Khunstel.
Richter Melchior Stoß.
- Anno 1639. Idem.
- Anno 1640. Burgermaister Marx Wittig.
Richter Hanns Hainrich Widerlher.
- Anno 1641. Burgermaister Christoph Otto.
Richter Hanns Hainrich Widerlher.
- Anno 1642. Burgermaister Christoph Otto.
Richter Franz Ciriani.
- Anno 1643. Idem.
- Anno 1644. Burgermaister Marx Wittig.
Richter Ludwig Schönleben.
- Anno 1645. Idem.
- Anno 1646. Burgermaister Marx Wittig.
Richter Martin Wuriac.
- Anno 1647. Burgermaister Franz Ciriani.
Richter Georg Werkasch.
- Anno 1648. Burgermaister Ludwig Schönleben.
Richter Georg Werkasch.
- Anno 1649. Burgermaister Ludwig Schönleben.
Richter Domenico Brogioli.
- Anno 1650. Burgermaister Georg Werkasch.
Richter Domenico Brogioli.
- Anno 1651. Burgermaister Georg Werkasch.
Richter Jacob Seifer.
- Anno 1652. Burgermaister Ludwig Schönleben.
Richter Jacob Seifer.
- Anno 1653. Burgermaister Ludwig Schönleben.
Richter Hanns Reringer von Rörenberg.
- Anno 1654. Idem.
- Anno 1655. Burgermaister Georg Werkasch.
Richter Domenico Brogioli.
- Anno 1656. Idem.
- Anno 1657. Burgermaister Hanns Reringer von Rörenberg.
Richter Jacob Seifer.
- Anno 1658. Idem.

¶¶¶¶

- Anno 1659. Burgermaister Hanns Reringer von Rörenberg.
Richter Johan Maria Piskhon.
- Anno 1660. *Iidem.*
- Anno 1661. Burgermaister Hanns Reringer von Rörenberg.
Richter Jacob Seiter.
- Anno 1662. *Iidem.*
- Anno 1663. Burgermaister Gian Maria Piskhon.
Richter Johan Baptista Dolnitscher.
- Anno 1664. *Iidem.*
- Anno 1665. Burgermaister Johan Maria Piskhon.
Richter Lucas Strener.
- Anno 1666. Burgermaister Hanns Reringer.
Richter Lucas Strener.
- Anno 1667. Burgermaister Hanns Reringer von Rörenberg.
Richter Johan Baptista Dolnitscher. I.
- Anno 1668. *Iidem.* II.
- Anno 1669. *Iidem* III.
- Anno 1670. Burgermaister Johan Maria Piskhon.
Richter Johan Barthlinee Bosio.
- Anno 1671. *Iidem.*
- Anno 1672. Burgermaister Johan Baptista Dolnitscher.
Richter Johan Barthlinee Bosio.
- Anno 1673. Burgermaister Johan Baptista Dolnitscher.
Richter Gregor Staudach.
- Anno 1674. *Iidem.*
Registrator Michel Zihnscher.



